

Pag. 1002. lin. 1. Innuit - *Anuit* B. R. C. 6. contineri - *continuum* B. C. ibid. Notoria - *Notaria* R. 7. scripta - *inscripta* B. C. 27. quendam - *quadrum*. 46. Archan - *Archibin* B. (*Arch*, id est R. C.) 47. nigerrimos - *minimos* B. R. C. 51. repetit - *repetitit*. 55. fitum leg. *fitim*.

Pag. 1003. lin. 6. De agro Hebron & crucis parte - *De gleba effossa & renascente* C. 10. reparatus - *gratus* B. C. *gratius* R. II. apud va *** - *apud Achon* R. 13. Pamphylio - *Pamphylico* B. 28. Raimbaudum - *Rembaldum* B. Semibaldum C. ibid. militem - *militem strenuissimum* B. C. 37. Myndensis - *Mynidensis* B. *Erynidensis* R. & Mymdeum C. 38. omnibus, sub dio - *omnibus sociis, sub duno* B. R. C.

Pag. 1004. lin. 1. Semivate - *Seminace* R. C. Semiante B. 2. Hellepontia - *Hellespontie* B. R. C. 8. Chimæram - *Cymæam* B. C. 24. Faverethsam - *Faverbesham* B. 31. Barnctam - *Bernetam* C. *Berveccam* B. *Serenetam* R. 33. Rocciam - *Ufeciam* B. R. C. 36. spaniatum - *Spaminacum* C. *Spamatum* B. *Spaniniacum* R. 37. irrigendum - *irrigandum* B. C. 51. Alingeni - *Alviganus* B. C. *Albucanus* R.

Ultimo loco in Codice Colbertino additur hic articulus:

CXXX. De turri Peleuteca Alesti.

Accedit & aliud non modicum admirandum. Est enim *Alesti* Nemaucensis Diœcesis turris *Peleuteca*, celebri fabricata structura, multis testudinum ædificiis decorata; in qua una testudo five *trom* est admodum parva, angustum quodammodo habens introitum, quæ pulverosa nuncupatur: quem si adeo die præcedenti separaveris, quod nil pulveris ibi restet; quamvis nullum animal postmodum in eam ingrediatur, in crastino eam invenies pulverosam, omnium fere bestiarum & hominum, tam parvorum quam magnorum, vestigiorum variis impressionibus occupatam.

Explicit liber de Mirabilibus Mundi, qui alias Imperatoris Solatium nominatur. Deo gratias.

Pag. 1005. lin. 2. Deest hæc Epistola in Codice Regio, & in duobus Colbertinis. 4. Hideneshem - *Hidenesham* B. 5. amicitia - *activa*. 10. Dum - *Quoniam*. 12. à vobis - *à nobis*. 14. vestra - *nostra*. 15. vestri - *nostri*. 16. in nos - *in vos*. 17. (Causa) vero - *Et enim*.



XLVIII.

CHRONICA EPISCOPORVM HILDENSHEIMENSIVM, NEC NON ABBATVM MONASTERII SANCTI MICHAELIS, CVM SVPPLEMENTIS EX BINIS CATALOGIS EPISCOPORVM HILD.

Ex MSS.

Hildesheimensis Episcopatus in Saxonibus fundatus ac constitutus est primum à Carolo Magno Galliarum Rege ac Imperatore Romano, cum devictò Saxonum Magno Duce Widekindo primus religionem Christianam per totam Saxoniam plantaret, & ab idololatricis eam erroribus ac cultibus ad veri Dei cognitionem reduceret. Cœpit vero Episcopatus ille non Hildesie, sed apud *Elzium* vel Regiam aulam, amœnissimum quendam pagum, in concursu *Salæ* ac *Leinii* pisculentissimorum fluviolorum situm. Ibi prima cathedralis Basilica futuro Episcopatu constructa est à Divo Carolo Magno in honorem principis Apostolorum S. Petri; à qua Episcopatus primum *Aulicensis* Episcopatus dictus est. Translatus est autem tandem à Ludovico Pio Imperatore, Caroli Magni filio ex Regia ista aula trans flumen *Leinense* in locum, quem à cœlitus missa nive *Hildesbne* olim, nunc vero parum immutata voce *Hildesheim* appellamus. Ibi conditum est ab eodem optimo Imperatore primum templum, D. Virgini sacrum, & hic cœpit Episcopus Guntharius, à Carolo Magno antea electus, primus Hildesheimensis appellari, qui antea *Aulicensis* dictus erat: factumque id est anno Dominicæ incarnationis 814. Ad quem cum undique conflueret magna hominum multitudo, mox sub eo locus ille, tum adhuc sylvestris, præclare excultus, in egregiam urbem excrevit. Hujus Episcopalis Ecclesiæ gubernatores ac Antistites ad hæc nostra usque tempora omnes tali serie ac ordine numerari solent.)

Karo.

Karolus Imperator Magnus, qui supremo vitæ suæ tempore Saxones diversis variisque confictionibus, duodecimo demum bello, ad fidem Christi compulit, & Dei auxilio Episcoporumque consilio Christianam religionem super eos corroboravit, anno Incarn. Domini DCCCXIV ad Christum migravit; cui filius ejus Lodewicus successit, qui *Guntebarium* primum Episcopum in Hildeneshem ordinari fecit.

(*Guntebarius* vel *Guntherus* eligitur & constituitur primus Episcopus Hildesianæ Ecclesiæ ab Imperatore *Ludovico Pio* anno Domini 814, quo obiit Carolus Magnus, primus hujus Episcopatus fundator. Præfuit laudatissimè annis uno & viginti, qui antea etiam aliquamdiu in *Aulicâ* concionatus fuerat. Condidit templum S. Cecilie duabus turribus conspicuum, prope Divæ Virginis inchoatum prius à Ludovico Imperatore sacellum. Obiit anno Domini 835. Sepelitur in sacello arcis à se constructæ.)

Reinbertus secundus Episcopus. (*Remibertus* aliis *Frembertus* successit *Gunthero* Episcopo: sed paucis tantum mensibus præfuit, evocatus ex hac in aliam meliorem vitam. Sepelitur honorificè in sacello arcis prope antecessorem.)

Ebo aliis *Eppo* Gallus natione, Archiepiscopus Remensis; primus, qui ab Imperatore *Ludovico Pio* ac Pontifice Maximo Paschali missus, Danos ad fidem Christianam convertit. In cujus absentia cum audiret Imperator, eum unum fuisse ex suasoribus seditionis, in qua ipse à suo filio *Lothario* captus erat: dejecit eum ex Archiepiscopatus fastigio. *Hamburgum* igitur ad *S. Ansgarium* Archiepiscopum confugit: qui, cum virtute ac sapientia præstantem virum esse videret, mox ejus misertus, constituit eum Episcopum Hildesianum anno 835. Præfuit ibi annis 12. concionando, docendo, baptizando, & aliis pietatis officiis, ad verum Episcopum pertinentibus, fidelissimè. Decessit tandem ex hac vita anno Domini 847.)

Anno DCCCXLVIII (a) *Alfridus* IV. Episcopus Ordinatur, qui & duas curtes suæ proprietatis *Salgenstad* & *Asnede* nostræ Ecclesiæ (quam inchoaverat) condonavit. Anno suæ ordinationis XXIX, plenus bonorum operum, XVIII Kal. Septembris (b) in Assumptione Sanctæ Mariæ in consortium Sanctorum veraciter assumptus migravit, & *Asnede* in Ecclesia sua, quam ipse inchoavit, consummavit, dedicavit, sepultus quievit. Ibi usque hodie in miraculorum virtutibus, per plurima sanitarum insignia, ut eò loci commanentes veraciter affirmant, omnibus innotescit. Et eodem etiam anno, id est, Incarnationis Domini DCCCLXXV. *Lodewicus* Imperator obiit, filius *Lodewici*. (*S. Alfridus* Monachus *Corbejenfis* *Benedictini* instituti, sapientissimus ac doctissimus, ex *Coloniensi* Archiepiscopatu sublimi loco natus, successit Episcopo *Ebboni* anno Domini 848. Præfuit laudabiliter annis 28. Construxit novam Basilicam Cathedralē magnificam ac robustissimam in honorem Dei Optimi Maximi ac D. Virginis: quam in forma Monasterii exstructam 26. annorum spatio absolvit. In eo ordinavit ac constituit, ut Canonici sui omnes, sub professione ac regula *Benedictina* viventes, Deo acerrimo studio fervirent; non secus ac Monachi, omnia habentes communia. Fundavit in Archiepiscopatu *Coloniensi*, patria videlicet sua, de paternis suis facultatibus *Essense* nobilium ac illustrium puellarum (quæ sub *Abbatissa* illis honestè educari, postea prodire ac nubere solent) potentissimum cœnobium, in quod hac nostra adhuc ætate non nisi *Principissæ*, *Comitissæ* & *Baronissæ* accipi solent. Construxit etiam *Selgenstedense* cœnobium. Dotavit etiam liberalissime *Gandershemense* Virginum cœnobium, hodie in ejusdem nominis *Brunsvicensi* oppido situm, quod anno Domini 852. à *Leodolpho*, magno Saxonum Duce fundatum ac inchoatum est. Ei cœnobio præposuit primam *Abbatissam* Episcopus iste, *Leutholphi* fundatoris filiam *Hatmodam* eodem anno 852: quæ cum octodecim annis præfuisset, & ex hac lacrimarum valle decessisset, constituta est ab eodem Episcopo anno Domini 870. secunda ejus loci *Abbatissa* *Domina Gerberga*, primæ *Abbatissæ* Germana soror, ejusdem magni Saxonum Ducis *Leutholphi* filia) (**Alfridi* consiliis Princeps *Lutolphus* Saxonix Dux cœnobium *Brunsbushusen* ac deinde *Gandesianum* auspiciabatur*). (Valedixit huic mortali vitæ Episcopus *Alfridus* anno Domini *** Evehitur in virginum cœnobium *Asnedense*, à se conditum ac fundatum, ibique honorificè sepelitur.) (*Ipse Episcopus *Essense*, in civitate videlicet *Westfalix* *Essen* dicta, requiescit, ubi illius gloriosum videtur sepulchrum.)

Lutolphus Monachus Monasterii *Corbejenfis* in Episcopum quidem electus fuit; sed ante sedem adeptam (ante consecrationem ac confirmationem Pontificiam) Deo ac naturæ concedens, sequenti locum dedit. Cum igitur nec dum sede potitus Pontificali diem clausisset ultimum, eam ob rem à calculantibus Episcopos præteritur*.)

Marquardus quintus Episcopus, occisus à Slavibus, & in *Ebbekestorp* sepultus. (Successit *Leutholpho*, vir admodum religiosæ ac innocentis vitæ, Deo & cœlo dignus. Præfuit tribus annis (* quatuor annis *) fideliter ac pie. Trucidatur *Hamburgi* à Slavibus, Normannis

ac

(a) In Chronico Episc. Hildeshemensium, Tomo I. pag. 742. seqq. edito, est DCCCXLVII.

(b) l. c. est XVIII Septembris, falsò.

ac Danis, in tota Saxonia tum crudeliter grassantibus. Sepelitur in Monasterio Epkestorpenfi.)

Wichbertus Episcopus Bibliothecam (c), quæ adhuc in Monasterio servatur, propria manu elaboravit. (*Iste cœnobium Gandesianum consecravit anno Domini 881.*) (6. *Wygebertus* insignis & animarum & corporis medicus, & cujus multi adhuc libri *de Medicina* scripti extant in Bibliotheca Hildesiana, eligitur post martyrio coronatum Marquardum anno Domini 880. Præfuit annis quatuor summa cum laude. Absolvit templum Gundershemensis cœnobii, cujus Abbatissa Domina *Gerberga*, cum evocaretur, eo adhuc vivente, ex hac lacrymarum valle, constituit ibi Episcopus *Wygebertus* tertiam Abbatissam, *Leutolphi* Saxonum Ducis minorem natu filiam, Dominam *Christinam*. Obiit postea anno Domini 884. Sepelitur in aula Episcopalis sacello.)

Huic *Walbertus* septimus Episcopus successit. (*Waldobertus* eligitur mortuo *Wygeberto*. Præfuit summo propagandæ ac illustrandæ religionis Christianæ studio annis 19. Obiit anno Domini 903. Sepelitur in Basilica Cathedrali apud Hildeshemium ante altare S. Cecilie. Is primus Præpositum summæ Basilicæ constituit; ac Canonicis in veste Monachica sub Benedictina adhuc possessione (f. professione) conjunctim victitantibus, certos etiam redditus annuos assignavit, quibus & libros libri & vestes, & alia necessaria comparare possent. Sub hoc Episcopo obiit tertia Abbatissa Gundershemensis Domina *Christina*, cui *Roschwindam*, Ducali etiam stemmate natam, puellam religiosissimam, ejus cœnobii Moniam, substituit.)

Post *Walbertum* *Sechardus* octavus Episcopus præponitur, qui anno (d) DCCCCXXIII incarnationis Domini turrim occidentalem in *Gandeshem* dedicavit. Ipse etiam in nostro monasterio altare Sanctæ Crucis & parietes & pulpiti Evangelium (e) argento honestè redimivit. (*Gebhardus* aliis *Sygehardus* eligitur anno Domini 903; præfuit annis 25, summa cum laude. Ornavit suggestum summi templi argenteis laminis. Obiit anno Domini 928. Sepelitur in summo templo ante altare S. Cecilie. Sub ejus gubernatione obiit quarta Abbatissa Gundershemensis cœnobii, Domina *Roschwindam*, anno Domini 906; in cujus locum Domina *Wendelgardis*, nobilissimis parentibus nata, ab ipso ejus loci conventu electa, & ab hoc Antistite Hildesiano consecrata est.)

Thiethardus abbas *Hersveldiæ* nonus Episcopus nobis ordinatur; qui in *Gandeshem* novam Ecclesiam ad Monachos anno (f) DCCCCXXXVIII. Incarn. Domini in honorem Sanctæ Mariæ consecravit. (*Diethardus* ex *Hirsangienfi* Monacho primum Abbas *Hirsfeldensis* factus, cum Abbatia fidelissime ac summa cum laude præfuisset, designatus est Episcopus Hildesianus anno Domini 928. Reædificavit maximis sumptibus ruinofum templum Gundershemensis cœnobii denuo ex imis fundamentis, & absolutum consecravit 11. suæ ordinationis anno. Absolvit naturæ debitum anno incarnati verbi 956.)

Othwinus, Parthenopolitanæ sedis Abbas, decimus Episcopus ordinatur, prius, ante Abbatialem dignitatem, *Augiensis* Monachus, qui curtem *Gisenheim* in utilitatem fratrum acquisivit. (10. *Othwinus* eligitur unanimi consensu totius cleri ac populi Hildesiani in Episcopum ex Abbate cœnobii *Bergensis*, quod erat olim ante muros *Magdeburgensis* urbis ad *Albim* magnificentissimum, nunc vero Germanico hoc bello, anno videlicet 1550. solo æquatum. Præfuit utilissimè annis 30. Consecutus est pagum *Gysenheimensium* cum adjacente toto territorio. Constituit, ut Canonici summi collegii haberent vina per sedecim dies singulis annis. Profectus Romam, ex *Ticinensi* urbe S. *Epiphani* corpus secum attulit *Hildeshemium*, in cujus Sanctissimi Episcopi honorem condidit sacellum contiguum summæ Basilicæ. Decesit ex hac vita anno 986. Sub ejus gubernatione obiit quinta Abbatissa Gundershemensis Monasterii, Domina *Wendelgardis*, in cujus locum successit Domina *Gerberga* Ducissa Saxonie.)

Otwinus Pontifici mortuo *Osdagus* undecimus Episcopus successit. (11. *Osdachus* ex *Divitis Augiæ* Monacho Episcopus *Hildeshemensis* designatus est anno Domini 986. Evocarat eum antea ad *Bergensis* Cœnobii gubernationem ex *Augiensi* Monasterio *Othwinus*, qui & ipse olim ejusdem loci cœnobita fuerat. Præfuit 4. annis. Obiit anno Domini 990. Sepelitur in Summæ Basilicæ crypta sub choro, pulchrè laqueata & concamerata.)

Quo defuncto *Gerdagus* XII. Episcopus successit, qui etiam ex sua proprietate & acquisitione curtem majoris (g) *Alegrimesheim* & *Sigebrechtshusen* fratribus ad XL. mansos donavit. (12. *Gerhardus* aliis *Gerlachus*, & iterum aliis *Gerdagus* præfuit tribus annis. Adiit propter certa quædam negotia Romam; inde cum rediisset ad *Hildesiam*, septimo die obiit anno Domini 993. Sepelitur in Summa Basilica *Hildesheimensi* ante aram S. *Petri* Apostolorum Principis.)

Deinde Incarn. Domini DCCCCXCIII. *Bernwardus* Regius Capellanus XIII. Episcopus Ecclesiæ nostræ constituitur; qui ab exordio promotionis suæ, quicquid acquirere potuit,

(c) in alio codice est *Bibliam*.

(d) In Chron. Episc. Hildesh. est DCCCCXXVI.

(e) librum Ev-

angelii.

(f) l. c. est DCCCCXXXVIII.

(g) l. c. est minoris.

tuit, utilitati suæ Ecclesiæ, ut fidelis dispensator, prudenter impertivit. Aurum namque & lapides, quæ B. memoriz *Othwinus*, reservavit, iste in calicem & patinam magnæ pulchritudinis, ut modo videtur, fabricavit, & plurima utensilia, ut inter *vita sua opera* inscribitur, suæ Ecclesiæ contulit; fratrum etiam utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit: quibus curtem nominis *Hemedesdorn* cum sua possessione in familiis & decima adhuc implenda delegavit. Monasterium quoque *Sancti Michaelis* in septentrionali parte civitatis *Hildenesheim* (extra muros *Hildeshemenses*), in loco squalido, feris & brutis animalibus cooptato, in honorem Dei gloriosæque genitricis ejus *Mariz*, *Sancti Michaelis*, totiusque militiæ celestis construxit tota devotione, & ex parte dedicavit; in quo & Abbatiam & congregationem Monachorum, viventium sub regula *Sancti Benedicti*, instituit; quorum utilitati prædia & curtes, & familias ad CCC mansos condonavit de suo patrimonio, & quæ emere potuit de thesauro, relicto sibi ab *Ottone* tertio felicis memoriæ, cooperante scilicet *Henrico Pio* Imperatore; qui non modica bona contulit eidem Monasterio, & suo banno Imperatoriæ majestatis communivit. Diversa etiam eisdem contulit privilegia & libertates. Postmodum idem Imperator ad Christum migrans, *Babenberge* sepultus est. Idem etiam præfatus *Bernwardus* constituit *Godemmmum* primum Abbatem ejusdem Monasterii, qui ante conversionem suam præpositus majoris Ecclesiæ *Coloniensis* exiit; postmodum Monasterium *Sancti Pantalionis* in *Colonia* ingressus, à quo cum certis fratribus ad Monasterium *Sancti Michaelis* est translatus. Tandem devotus Præful *Bernwardus*, febribus correptus per quinquennium, migravit ad Christum. Reliqua virtutum ejus opera, si scire volueris, lege *Legendam* suam, ubi clarè invenies, quam largus ad pauperes & Orphanos ac misericors fuit. In fine vitæ suæ Monachicum habitum devotè à *Godemmmo* suscepit. His temporibus & sequentibus usque ad tempus *Dethmari*, qui XVus in ordine fuit, *Hildeshemensis* Clerus tam districta religione & religiosa districtione Dei obsequio se mancipavit, ut in professione Canonica districtione gauderet Monachica. Nam ut taceam, quam severè animadvertetur, si quis choro, mensæ, dormitorio non dico deesse, sed tardius adesse, non autem gravi necessitate retentus, aut licentia animatus præsumerat: Scholaris disciplinæ jugo absoluti artiori habena in claustris servabantur, & quotidianam scripturam Decano præsentare; Evangelium cum lectione, cantum quoque, ipsos tum etiam Psalmos reddere cogebantur; ut timidius in claustris quam in schola ferulæ manum subducere viderentur. Deliciosioris etiam vestitus tam nulla illis erat cura, ut gulas, quibus nunc Clerus ardet, nescirent; linguas pelliciales ac manicas non pallio sed nigrato panno ornarent; linguas autem claustralium superpelliciarum non minus, quam tunicarum equestrium, fibularent. Sic igitur rusticalem stultitiam curiali facietæ prætulere; sic fortunam annullando, nec altiora, quam de claustris administrabantur, affectando, tam interius quam exterius claustrali districtione clausi, renunciato nondum seculo, seculum nescierunt. (*S. Bernwardus* alibi *Bernwardus*, Comes à *Sommerschenborg*, Imperatoris *Otonis* tertii Sacellanus, ab eodem Imperatore constituitur Episcopus *Hildeshemensis* anno Domini 993. Verbo & exemplo diligenter præfuit, & tali vitæ sanctimonia præditus fuit, ut & vivus & mortuus claresceret miraculis. Præfuit fidelissimè ac utilissimè annis uno & triginta. Construxit & dotavit cænobium *S. Michaelis* magnificentissimum, cujus templum sex turribus in sublime eductis exornari fecit pulcherrimè. Contendit diu cum *Willegiso* Moguntino Archiepiscopo de jurisdictione *Gandersheimensis*, sua ætate combustus, sed à se magnificè iterum erecti Monasterii; sed constituto ejus disidii arbitro ac judice *S. Henrico* Imperatore, ejus nominis secundo, feliciter vicit & causam obtinuit contra Archiepiscopos Moguntinos. Obiit anno Domini 1024. Sepelitur in nova Basilica Monasterii *S. Michaelis*, quam construxit, cum tali Epitaphio, quod mortuo fecit *S. Benno* Episcopus *Misnensis*, tum adolescens adhuc quindecim annorum, & *Hildeshemi*, ubi natus est, sub parentum suorum cura bonis literis insudans:

Hac tumuli fossa clauduntur Præfulis ossa
 Bernwardi, miri magnificique viri.
 Qui propter stemma radians velut inclyta gemma
 Magna fuit patriæ gloria lausque suæ.
 Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
 Quem Deus Immanuel diligit & Michael.
 Tandem bis senis undeno mense Calendis
 Felix hanc vitam mutat in Angelicam.

Sub hujus Episcopi *Bernwardi* gubernatione obiit *Gandersheimensis* sexta Abbatissa *Domina Gerberga*, cui successit *Domina Sophia*, *Otonis* secundi laudatissimi Imperatoris filia. Vixit eodem tempore in *Gandersheimensi* cænobio eruditissima Monialis *Domina Rosvitis* puella *Saxonica*, insignis Pœtria, quæ sex comœdias sacras ad imitationem *Terentii* scripsit, & trium Imperatorum *Otonum* res gestas omnes; multorum item Divorum vitas Heroico &

Ggggg 2

neu,

neutiquam contemnendo carmine complexa, totum illud opus suum *Gerberge* Abbatissæ dedicavit.) (* Bernwardus Comes de Sommersborg, Ottonis tertii pædagogus, vir sanctus. Canonisatus fuit miraculis clarus sub *Cælestino* Papa 3. anno Domini 1193.*)

Anno incarnationis MXXII, suæ vero ordinationis XXX. beatus Bernwardus Episcopus ad Christum migravit, & in Monasterio Sancti Michaelis in cripta sepultus, cui venerabilis *Godehardus Altabensis* monachus, postea *Hersveldensis* Abbas succedit, qui omnibus exemplar justitiæ & humilitatis in finem perseveravit. Ipse etiam fratrum utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit. In curte sua Hildenesheim, veteri ecclesia, quam *Othwinus* Episcopus ibidem ædificavit in australi parte civitatis, dilapsa, pulchrum monasterium in honorem *Ascensionis Christi* construxit, in quo Clericos plures, in diverso studio scripturæ & picturæ rationabiliter utiles, congregavit, quibus de acquisitione sua victus & vestitus necessaria providit sufficienter. Sed pro peccatorum culpa idem monasterium igne consumitur, congregatio dilabitur, utilitas ibidem collata in diversa distrahitur. Idem *Godehardus montem speciosum* in occidentali parte civitatis nostræ incolere cœpit, quem postea titulo *Sancti Mauriti*, summi sui patroni, dedicavit.

Idem anno Domini MXXVI. reliquam partem Monasterii Sancti Michaelis, a sancto Bernwardo nondum consecratam, ipse consecravit in honorem, ut supra recensitum, pluribus altaribus. Anno autem Domini MXXX. sub *Conrado* Imperatore *Goderummus* primus Abbas Monasterii sancti Michaelis obiit, & sepultus prope Altare sancti Stephani pridie Kal. Jul. Cui *Adelbertus*, montis sancti Iohannis Baptistæ Præpositus, *Herocampiæ* prope *Harsvelt* justæ conversationis Monachus succedit, & a sancto *Godehardo* in Abbatem consecratus est. Sub quo Monasterium sancti Michaelis in Hildensem in vigilia Pentecostes ad vesperam fulmine combustum est anno MXXXIII, & sequenti anno à Sancto *Godehardo* dedicatum est & consecratum de novo, in honorem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi & ejus genitricis semperque Virginis Mariæ ac salutiferi ligni adorandæ Crucis, & ad speciale patrocinium sancti Michaelis, totiusque militiæ cœlestis. Anno autem Domini MXXXVIII. ordinationis suæ anno XVI. devotus & dilectus. Deo Pontifex *Godehardus* sexta feria post ascensionem Domini ad Christum feliciter migrans, sepultus in cripta majoris nostræ Ecclesiæ; cujus vitæ sanctitas variis claruit miraculis, prout in ejus legenda plenius continetur. Hic dedit Monasterio sancti Michaelis Ecclesiam in *Didericksholthusen*. (*S. Godehardus* Comes (*) de *Schyren* Bavarus, genere illustris; virtute vero & vitæ sanctitate illustrissimus; ex Abbate Cœnobiorum, *Altachensis* in Bavaria, ac *Hirsfeldensis* in Buchonia fitorum, Episcopus *Hildensheimensis* designatus est anno Domini 1024. ab Imperatore *S. Henrico* secundo, cognato suo. Præfuit annis 14. utilissimè. Construxit de novo collegiatam Ecclesiam *S. Andreæ*, in suburbio *Hildesheimensi* sitam: Monasterium item *Haldhusense* ordinis *Divi Benedicti*, & Xenodochium pro pauperibus ac ægrotis. Obiit in Monasterio *Mauritano* anno Domini 1038. Sepelitur in summæ Basilicæ crypta.) (* *Godehardus* miraculis tam in vita quam post mortem claruit. Iste cœnobium *Sultense* ædificavit. In *Sanctorum* Catalogum relatus est, canonisatus sub *Innocentio* Papa in Concilio universalis *Remis* celebrato. Fuit etiam ab Imperatore Monasteriis *Altabensi*, *Dogarensi* & *Cremavensi* Abbas datus & constitutus; quæ mira industria ad limites paternos & cœnobialis vitæ perfectionem provexit. *)

In cujus locum Dominus *Thietmarus* regius Capellanus succedit, qui utilitatem Ecclesiæ suæ, fratrum benigna dilectione, in pluribus ampliare decrevit, sed peccatis nostris impediens non implevit. Cottidianam tamen præbendam fratrum ampliavit, & prædium in villa, quæ appellatur *Wengarde*, a *Walberto* Presbytero acquisitum, fratribus condonavit. Idem Episcopus primo suæ ordinationis anno, *Sophiâ Gandeshemensis* Abbatissæ defunctæ, & *Adelheidâ* sorore sua ei subrogatâ, quando eam jussu Regis in eandem Ecclesiam introduxit: ante altare & obedientiam & subjectionem sibi promittenti in æternam (***) curam commendavit, & decimas, quas antecessores sui ibidem beneficii gratia præstiterant, banni sui auctoritate repetivit; & easdem *Christiano* Comite, ejusdem Ecclesiæ Advocato, reddente, recepit, & sibi suæque Ecclesiæ in proprietate, banni sui auctoritate, communivit, astante *Hermanno*, Archiepiscopo *Colonien*si cum innumera multitudine Cleri & populi: Easdem tamen decimas ibidem ad preces Archiepiscopi, cum consilio sui Cleri & populi, eidem altari & Abbatissæ repræstitit, pro eodem videlicet servimine & censu, sicut beatus *Bernwardus* Episcopus, antecessor suus, ibidem instituit ut supra patuit.

Anno Domini MXXXVIII. Imperator *Conradus* obiit, & *Henricus tertius* reeligitur. Iste *Thietmarus* rex VI. annis aut circa, & molestus fuit Monasterio sancti Michaelis, aliqua bona, scilicet decimas in *Lafferde*, *Eggen*sen, *Nettolinge*, *Sawynge* & *Beddingo*, ac bona in *Wentbus* auferendo, ex inductione quorundam perversorum; simili modo sicut *Hildevinus*, qui beatum *Godehardum* ad similia induxit, sed non prævaluit. Vir enim sanctus, considerans malitiam ejus & certorum aliorum invidiam, eis non consensit. Post obitum tamen

san-

(*) error. (***) f. maternam.

sancti Godelhardi non cessarunt, sed callitate vulpina devotum virum *Deitmarum* Episcopum tandem induxerunt, ut eadem bona, quæ sanctus Bernwardus de thesauro Ottonis tertii emit, & Monasterio præfato contulit, ipse auferret Monasterio. Sed tamen post miserabilem obitum quorundam, invidorum pœnitentia ductus, totum Monasterio restituit. Et tamen postea nescio per quos, eadem bona cum quibusdam aliis, scilicet decimâ in *Berberch*, Monasterio ablata sunt & aliis Ecclesiis collata: non verentes maledictionem sancti Præsulis Bernwardi, prout in ejus legenda clarius continetur. (15. *Diethmarus* vel *Tiadmarus* natione Danus, *Conradi Saliqui* Sacellanus ac intimus consiliarius, animo & carne nobilis, eligitur & constituitur Episcopus Hildeshemensis, patrocinio *Gunildis* Danorum Reginae anno Domini 1038; quo obiit *Sophia*, Imperatoris Othonis secundi filia, septima Gandersheyemensium puellarum Abbatissa, in cujus locum ejusdem Imperatoris Othonis filiam *Adelbeydin*, unanimi consensu virginum electam, confirmavit Episcopus. Præfuit annis sex. Valedixit mortali huic vitæ anno Dominicæ Incarn. 1044. Sepelitur in crypta sub choro condita. Sub ejus gubernatione periit gravissimo ac miserimo incendio summum templum Hildesianum, in quo hætenus omnes Canonici sub Regula Benedictina conjunctim vixerant; qui jam propriis uti, ac abjecta D. Benedicti professione liberè vivere, ac seorsum habitare, hujus incendii occasione, cœperunt; *Afelino* successore ad omnia ista non gravatim connivente.)

Quo subita morte prævento & sepulto apud murum versus sacrarium. Anno MXLIII. *Azelinus*, regni Capellanus XVIus ei successit, qui pluralem utilitatem Ecclesiæ suæ & diversa commoda contulit. Veruntamen, ut veremur, ante Deum reus extitit, quod *Monasterium majoris Ecclesiæ igne consumptum inconsultè dejecit*. Ipse etiam fratrum commoda sæpius ampliari decrevit, sed varia occupatione præpeditus, tandem subitaneo obitu occupatus, non implevit. Dedit tamen annulum pontificalem & dorsale bonum, suo nomine inscriptum, cum campana *Cantabona* vocata. Dedit etiam coronam auro & argento radiantem, & coram principali altari pendentem. Eodem tempore moritur *Adelbertus* secundus Abbas monasterii sancti Michaelis, sepultus ante Altare sanctæ Crucis, & reeligitur *Sichbertus*. (16. *Afelmus* five *Afelinus* Imperatoris Henrici tertii sacellanus, ab eodem Imperatore Hildesheimensi Ecclesiæ præficitur. Præfuit non illaudabiliter annis decem. Dedit multa ornamenta Ecclesiæ suæ. Obiit anno Domin. Incarn. 1054. Sepelitur in crypta templi, à se iterum quidem, sed omnino infeliciter inchoati; cujus dum unam partem ædificat, altera mirabili fatorum ordine corrui.)

Anno Domini MLIII. *Azelinus* migravit ad Christum, sepultus in principali ecclesia juxta columnam omnium sanctorum in parte australi, & loco ejus constituitur *Ethilo* Goslariensis Præpositus, vir litterali scientia ac discretionem conspicuus. Opus quod antecessores sui *Alfridus* & *Godehardus* inchoaverant in occidentali parte civitatis in monte, ipse complevit, collegium in honorem *Sancti Mauricii* fundavit, & diversis decimis ac prædiis dotavit, ubi & postea sepultus est. Ibidem quindecim Canonicos instituit & *Cononi* Præposito regendos commisit. Iam autem instante ætatis suæ vespere, vespertinum oblaturus sacrificium, in orientali nostræ civitatis parte, prius domum belli in domum pacis, adjuncto etiam novo opere, commutavit; & XV. Canonicos institutos habundeque necessariis provisos, *Adeloldo* Præposito, viro sanctæ memoriæ, regendos commisit. Sed quia idem Monasterium infirmitate præventum consecrare non potuit, *Burchardo Halverstedensi Episcopo*, fortissimo in bello Ecclesiæ militanti, sub titulo *Sanctæ Crucis*, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli consecrandum commisit. Quo ad purum infirmitatis igne excocto, prædicti Præsulis ammonitu ex corde pœnitens, fratribus nostris quicquid abstulerat, decimas videlicet & curias *Wangarde*, (*) *Embrike*, *Poppenburg* reddidit, & quæ longo tempore congregaverat ipse, ut prudens (**) animal, per manus pauperum Domino offerenda promisit. Considerans enim, impossibile esse multorum non exaudiri orationes; nullam in tota Saxonia congregationem prætermisit, cui non suas elemosynas impertivit; & quam largus fuerit in elemosynis, ipsi adhuc pauperes attestantur. Habet tamen in eo Divina sententia, ut veremur, quod feriat, quia institutionem ordinis nostri in abbreviatione divini officii, in superfluitate vestium, in relaxando regularis vitæ destructionem, non dico mutavit, sed mutantibus non contradixit. Pari enim reatu teneretur & errori consentiens, & ubi posset, illicita non prohibens. Ipse tamen de immutatione nostri ordinis, facta confessione, pœnitentiam accepit, & fratres nostros astantes sub attestatione divini timoris, ut in pristinum restituerentur; consulendo, præcipiendoque ammonuit. Ipse præbendas fratrum, non comprehensas determinato numero, sapienti consilio ad certum numerum, quinquagesimum scilicet, rededit. Eo tempore *Sichbertus* Abbas III. ad Sanctum Michaelem migravit ad Dominum, sepultus ante altare omnium Sanctorum, & *Meinwardus* in loco ejus reeligitur, quartus in ordine. Circa idem tempus *Hinricus* III. Imperator moritur, & filius ejus *Hinricus* IV. eligitur, qui heu! totam Saxoniam rapinis vastavit & incendiis. Ipse (Episcopus scilicet) pecunia hoc obtinuit, ne una domus in tota Diocesi Hildeshemensi combureretur ac devastare.

Ggggg 3

(*) Lymbrike inedito.

(**) f. œconomus.

staretur. Si quis autem obijciat, pro eo non orandum, quem excommunicationis pœna scimus innodatum occasione aduersitatis inter Hinricum & Gregorium septimum: certissime sciat, eum fuisse absolutum ante obitum suum, nec postea communicasse excommunicatis. Obiit anno Domini MLXXVIII, ordinationis suæ anno XXVI, & in Monasterio Sancti Mauritiique requiescit. (*Ethilo* aliis *Hetzilo* ex Goslariensi Præposito eligitur in Episcopum Hildesheimensem. Fuit *Eckhardo Misnia Marchioni* sanguinis necessitudine conjunctus, Præfuit annis 25. Certavit anno Dominicæ Incarnationis 1063. de sessione cum *Widemado Abbate Fuldensi* bis in templo Hildesheimensi, præfente Rege Henrico IV. non sine multi sanguinis profusione. Eam historiam eleganter & copiosè descriptam petat studiosus lector ex *Lamberti Schaffnaburgensis Chronica*. Rexdificavit & magnificè absolvit in sexennii spatio collapsam prius ac incendio vastatam Cathedralē urbis Basilicam, quam cupro eleganter tegi curavit. Hanc ædem sacram multis pretiosissimis ornamentis liberalissimè exornavit; præcipuè insigni corona, in medio templo pendente. Fuit admodum munificus erga Canonicos, tum etiam erga omnes pauperes, eleemosynarum liberalissimus distributor. Fundavit Virginum cœnobium S. Mauritiique; quibus tum mox iterum in alium locum translatis, ex inchoato cœnobio collegiatam fecit Ecclesiam, in qua viginti sacerdotes sub Præposito Deo fervirent. Ejus loci primus Præpositus *Chumo*, Ethilonis cognatus, constitutus est, qui postea ad Brixienfis Episcopatus gubernationem avocabatur. Construxit idem Episcopus *Ethilo* Collegium S. Crucis, pro quindecim Canonicis, quibus dedit ac præfecit Præpositum *Adollaldum*, sanctissimæ vitæ virum. Obiit anno Domini 1079. Sepelitur in Canonicorum collegio montis S. Mauritiique à se fundati.)

Huic *Udo* successit Episcopus XVIII. in ordine, qui Ecclesiæ nostræ XXXIII. annis præfuit. Hic, ut omnium pace dicatur, cum oblectamentis temporalis vitæ nimis indulgeret, justo Dei judicio condignas levitatis suæ pœnas exsolvit. *Egberto* namque *Marchione Brandenburgensi* Episcopatum nostrum incendiis ac rapinis atrociter invadente, & muros urbis gravissima obsidione coartante, idem Episcopus ad tutelam sui & defensionem Ecclesiæ decimas, quæ omnes fere illi vacabant, atque Ecclesiæ possessiones, coactus est militibus impertiri, & quod magis perniciosum est, multas, pœnas videlicet pecuniarias, pro criminalibus culpis institutas, hominibus suæ ditionis relaxare. Extremo tamen vitæ suæ tempore moribus sincere correctis, prædia quædam suæ proprietatis cum ministris ad jus Episcopale contulit. Quæ vero in *Bocholte* titulo hæreditariæ successione possederat, & quod in *Wissillene* (*) a quodam *Godeshalco* emtionis nomine acquisiverat, ad opus fratrum delegavit. Insuper ut filix fratris sui *Eilika & Adelbrydis venerabiles Abbatisse* prædium suum in *Hevenhusen* (**) cum omnibus suis atinentiis Ecclesiæ nostræ largirentur, effecit. Sub hujus tempore decima in *Nettelinge* Monasterio Sancti Michaelis ablata fuit, & Vasallis *de Salder* donata. Eodem tempore *Borchardus* Episcopus *Halverstadensis* ab Imperatore Henrico IV. occiditur Goslarix propter justitiam, anno scilicet MLXXXVIII. Hic idem *Borchardus* fundator fuit Monasterii *Huoburgensis*, & reformator Monasterii *Ilfineburgensis*, quod paulo ante fuerat exustum factione quorundam malignorum.

Circa idem tempus videlicet anno MC aut circa *Henricus* Comes & Marchio Frisonum *Bursfeldiam* fundat. Idem *Henricus* à Frisonibus interfectus fuit. Dehinc circa idem tempus obiit *Meynwardus*, Monasterii Sancti Michaelis in Hildenesheim Abbas, sepultus ante Altare sanctæ Crucis ibidem, & *Conradus* in loco ejus eligitur. Anno Domini MCXIII. obiit *Udo* Episcopus, sepultus in Capella sancti Laurentii. (*Udo* Comes de *Alvensleben* constituitur Hildeshemensis Ecclesiæ Episcopus ab Imperatore *Henrico quarto* anno Domini 1079. Præfuit autem triginta quinque annis. Fuit invisus omnibus aliis Germaniæ Principibus ac Episcopis, quod summo studio semper adhæssisset benefactori suo Imperatori *Henrico IV*. Idcirco Marchio *Misnensis*, *Brunsvicensis* & *Saxonix* Dux *Erkenbertus* (***), conscripto in Episcopum exercitu, totum Episcopatum occupat; Episcopum Hildeshemii obsidet, ac ad deditionem adigit. Postea quietè ac fideliter præfuit Ecclesiæ ad annum usque Domini 1114, quo ex hac lacrymarum valle ad æternam patriam concessit. Sepelitur in summi templi Hildeshemensis sacello Laurentiano.)

Post hunc *Bruningus* Goslariensis Decanus, ætate maturus & industria conspicuus, Ecclesiæ nostræ delegatur. Qui Episcopatum quidem nostrum III. annis gubernavit; sed, cum à Maguntino *Adelberto* consecrationem nollet suscipere, Episcopatum resignavit, & ad Ecclesiam Sancti Bartholomei, cui quædam de bonis Episcopalibus, quædam de rebus proprietariis contulerat, sese transtulit, ibique diem exitus sui Deo devotus expectavit, ubi & sepultus est. (19. *Bruningus* ex Goslariensis Collegii Decano in Episcopum Hildesheimensem eligitur unanimi consensu totius summi Canonicorum senatus anno Domini 1114. Erat multis eximiis virtutibus ornatus. Resignavit Episcopatus gubernationem, & in S. Bartholomæi collegium profectus, quod in salinis situm ipse eo anno pulchrè instauraverat.

Ibi

(*) *Wissisleve* l. c. (**) *Hevenhusen*. (***) *Ecbertus* intelligitur, qui Marchio quidem fuit, sed non *Misnensis*, & Princeps *Brunsvicensis* in *Saxonia*, sed non *Saxonix* Dux.

Ibi reliquum vitæ exegit, in cujus collegii templo est etiam post fata sepultus.) (* Ante consecrationem resignavit, vir sanctus & humilis *).

Dehinc *Bartoldus* venerabilis noster Præpositus, Cleri plebisque consensu, Ecclesiæ nostræ præficitur, religiosæ conversationis studio præclarus. Ipse *sacras virgines in Episcopatu nostro primus inclusit*, & Clericos, quos *regulares* vocant, introduxit. Monasterium etiam dictum *Bessingevode*, quod hodie *Marienrode* vocatur, innovavit & ibidem fratres ordinis Cisterciensis, collocavit; & moniales, ibi quondam habitantes, locavit in *Isenhagen*. Hujus tempore obiit *Conradus V.* Abbas Monasterii Sancti Michaelis, sepultus in cripta omnium Sanctorum, & loco ejus *Conradus hujus nominis II.* eligitur. Post hoc *Bartoldus* Episcopus migravit ad Dominum circa annos Dom. MCXXIV. sepultus sub altari omnium Sanctorum. (*Bartoldus* ex Præposito summi Collegii Hildesheimensis constituitur Episcopus anno salutis 1115. post resignationem *Bruningi*. Præfuit utilissimè ac summa cum laude annis 15. Obiit anno Domini 1130. Sepelitur in summa Basilica sub ara omnium Sanctorum. Fuit acerrimus Monasteriorum Reformatore, claudens omnia Cœnobia Virginum. Construxit in *Bacrodensi* pago cœnobium Canonorum Regularium S. Augustini, non procul ab *Hildesiana* urbe situm, quod ab Episcopi fundatoris nomine *Bartoldivode*, quasi *Bartoldi* novale appellatum est. Hodie Cisterciensium Monachorum domicilium *Marix* novale, vulgò *Marienrode* dici ab accolis solet. Fuit pacis maximè studiosus ac custos diligentissimus, cum tamen nusquam non creperent ac tonarent bella sub Imperatore *Henrico V.*) (* Iste anno Domini 1118. electus, *Clusinum* cœnobium consecravit anno Domini 1124. *)

Hinc *Bernhardus* Episcopus successit, Comes *de Walbusen*, qui primum magister scholarum, deinde majoris Ecclesiæ Præpositus, pari desiderio Cleri & populi, supra modum renitens, in Episcopum eligitur. Ipse siquidem *Abbatiam Ringelensem*, prius Regalem, nunc vero Episcopalem, Rege *Conrado III.* consentiente, in perpetuum sibi & successoribus suis obtinuit. Sub hujus tempore sanctus *Godehardus* canonizatur, & sub *Innocentio* Papa II. in Concilio Remensi approbatur. Ipse etiam anno Domini MCXXXIII. fundamenta Monasterii Sancti *Godehardi* posuit XVI. Kal. Julii in Australi parte civitatis, & *Fredericum de Monasterio Fuldensi* electum, ordinis sancti *Benedicti*, ipsis in primum Abbatem præfecit. Plura etiam altaria in Monasterio Sancti Michaelis idem Antistes consecravit. Anno Domini MCXXVIII. *Conradus II.* hujus nominis monasterii nostri Abbas, moritur, sepultus ante altare Sanctæ Crucis; & in locum ejus *Theodericus* eligitur, qui rexit annis XIII, & postea anno Domini MCXLI. obiit, & in choro Sancti *Iohannis* requiescit in sinistro cornu altaris ad Aquilonem. Post hunc *Borchardus* octavus Abbas eligitur. Sub eo Monasterium regale *Lutter* datur ordini sancti *Benedicti*, qui prius Canonici regulares erant. Eodem tempore, dum *Goslarix* diversæ forent opiniones de reliquiis Sancti *Matthiæ* Apostoli, nec non Sanctorum *Rustici* & *Verinacii*, cum aliis in cripta majoris Ecclesiæ per *Henricum Imperatorem* reverenter collocatis: insistente Præposito ejusdem Ecclesiæ *Gilberto* visum est nonnullis, ut reliquiæ prædictæ transferrentur, quod & factum est XIII. Kal. Junii, amministrante *Bernhardo* Hildensemensi Episcopo, qui post biennium destitutus est oculorum lumine. Præpositus similiter oculorum jacturam passus, subitanea morte periit. Civitatem quoque ipsam adeo flamma consumpsit, ut illic nemo propter incendium moraretur. Deinde anno Domini MCXLIII. obiit *Borchardus* Abbas Monasterii Sancti Michaelis, & sepultus est ante altare Sanctæ Crucis in Ecclesia sua. Deinde anno Domini MCLIII, suæ vero ordinationis XXIII. obiit *Bernhardus* Episcopus Hildensemensis, sepultus in Monasterio sancti *Godehardi* in choro. (21. *Bernhardus* Comes *Rotenburgius* ad *Tubarim* ex summi collegii Præposito in Episcopum electus est ab unanimiter consentiente & clero & populo universo anno Domini 1130. Præfuit optimè ac utilissimè annis viginti tribus. Construxit in suburbio Hildesheimensi magnificam *Benedictinæ* professionis *Abbatiam* in honore *B. Gothardi* Episcopi Hildesheimensis, quem miraculis crebrescentem de tumulo levatum, in synodo Remensi ab *Innocentio* secundo Pontifice Maximo canonizari, ac in divorum numero referri facit anno Domini 1133. Inclusit canonizatum corpus sarcophago è solido argento & auro facto, preciosissimisque gemmis exornato, valoris decem millium aureorum. Præfecit isti novo suo cœnobio Abbatem primum *Fridericum* eximie doctum ac religiosum Monachum *Fuldensem*. Acquisivit per revelationem ac admonitionem familiaris cujusdam spiritus (quem *Chronica Saxonum* à rustico pileo, quo tectus incedebat, *Hodeckbin* vocant) *Wintzenburgensem* Comitatum & oppidum *Alveldense*; postquam *Hermannus* ultimus Comes à *Wintzenborg*, Saxonici cujusdam ac præpotentis *Reguli* interfectore, relictis suis omnibus ditionibus in spontaneum exilium abierat, nemini postea suorum unquam visus. Eum Comitatum totum cum consensu Imperatoris *Lotharii* Saxonis possedit. Incorporavit cum consensu Imperatoris *Conradi* tertii suo Episcopatu *Ringelheimensem* *Abbatiam* potentissimam & *Alsburgensem* Præposituram. *Wintzenburgensem* arcem præclare munivit ac illustravit. Sub hujus Episcopi gubernatione obiit Domina *Bertha*, Nona *Abbatissa* *Gandersheimensis* Cœnobii; in cujus locum electa est decima, Domina *Loicardis*, quam Episcopus *Bernhardus*

bene-

benedixit præsente Lothario Imperatore Goslarix. Hæc Domina Loicardis cum anno 1152, evocaretur ex hac mortali vita, designata est ab unanimiter consentiente Gandersheimensium Dominarum collegio undecima Abbatisa Domina *Adelbeidis*, quam præsente hoc Bernhardo Episcopo *Padebornensis Antistes Bernhardus*, à valetudinario Præsule Hildesiano in id exoratus, consecravit. Obiit Bernhardus Episcopus anno 1153. Sepelitur in cœnobio S. Godehardi à se constructo. Fuit cæcitate percussus annis 9, antequam ex hac vita emigraret. Idcirco assumit in coadjutorem Brunonem, Decanum summi Collegii. (*Iste anno Domini 1128. Episcopus electus fuit, vir bonus, & non nisi tractus in cathedram, è Præposito Antistes factus. Huic quoque nostro Cœnobio (Clusino) haud defuit fautor. Cum post primam institutionem *moniales in Ringelem* præ nimis divitiis sanctitate dimissa lascivirent, hic Monachos illuc transtulit.*)

Post obitum Domini *Bernhardi Bruno* Decanus, vir bonus & providus, Ecclesiæ nostræ præficitur, qui castrum *Wyntzenborch*, ubi prædecessor suus reliquit, ipse non modico sumtu reincepit & communivit. Contulit autem ad usum armarii nostri totum Novum Testamentum & Vetus, utrumque glossatum, cum nonnullis aliis pretiosis libris. Eodem tempore præfuit Monasterio sancti Michaelis Abbas *Reibman vel Franco*. Rethmannus namque binomius fuit, qui parvo tempore fuit in regimine, & ideo non computatur inter Abbates; qui multa bona operatus est, & denique post multa virtutum insignia alibi decesit. Sepultus est in remotis partibus circa annos Domini MCLXIII. vel III. aut circa. Cui *Franco* Abbas nonus successit, qui annis præfuit quinque, quem aliqui volunt esse *Reibmannum* tanquam binomium. Sed non est verisimile, quia iste Franco diu præfuit, ut (apparet) ex certis scriptis in copialibus: sed iste e contrario parvo tempore præfuit, quia ad alium locum translatus fuit. Fuit autem prædictus Franco Prior præcedentis Abbatis, vir Zelosus & bonus; & isto tempore adhuc vixit in Monasterio sancti Michaelis *observantia regularis in omnibus*, & fratres in magno rigore vixerunt, & multa caritate. Sepultus est autem & idem Abbas in remotis partibus. (22. Bruno Decanus eligitur in Episcopum anno Domini 1153. Præfuit cum summa laude annis septem. Absolvit Wintzenburgensem arcem, & in ea excellam turrim construxit. Episcopale palatium in urbe situm, pulchrè renovavit & illustravit. Obiit anno Domini 1160. Sepelitur in media Basilica Cathedrali ante aram S. Catharinæ.) (*Ex Decano Ecclesiæ Hildesienfis factus Episcopus fuit anno Domini 1152. Amator hujus nostri Monasterii (Clusini) fuit. Bona in tres divisit partes: ex una parte cœnobium fundavit S. Godehardi; alteram partem fratribus dimisit in Ringelem; tertiam vero in usum pauperum retinuit. Tricesimo post hujus cœnobii consecrationem, hoc est, anno Dominicæ Incarnationis 1155. tria altaria Venerabilis Antistes ille in Ecclesia Clusina Deo consecravit. Primum in honore Sanctæ Crucis, quod tunc jacuit in medio Ecclesiæ, ubi nunc janua chori est; descendebaturque à choro duabus januis, ad utrumque videlicet altaris ipsius latus, ad Ecclesiam inferiorem; mutatio vero facta fuit reformationis tempore; & alia etiam altaria, ad columnas Ecclesiæ erecta. Alterum altare ad aquilonarem partem chori in honore Divi Georgii Martyris, quod tunc non multo altius, quam nunc altare Sancti Hieronymi situm est, jacuit, ultra quod ad passum unum aut paulo plus finis Ecclesiæ ea in parte fuit. Tertium altare in australi parte chori in honorem Divi Nicolai Episcopi, quod tunc temporis modico altius jacuit, quam modo altare Sanctæ Catharinæ fundatum est, ubi & finis Ecclesiæ illa in parte fuit. Post autem Altarium illorum dedicationem anno quinto, ejusdem Antistitis consensu *Geroldus Aldenburgenfis Præsul* capellam Sancti Michaelis inter turres Ecclesiæ nostræ consecravit, loco Capellæ Sancti Georgii, ex vetustate collapsæ. Illud sacellum ad *Clusam* pertinuit, unde huic cœnobio nomen emerfit. Iste Geroldus ab *Henrico Duce Saxonia* cognomento *Leone* in Præsulem *Haldenburgensem* promotus fuit, ubi idem Princeps, barbaris fugatis, vexillo crucis loca ista subjecerat. Postea tamen propter irruptiones barbarorum ab ipso Episcopo persuasus, sedem Episcopalem illinc movens, *Lubeccam* Princeps transtulit, præbendas ibidem statuens 12, & tertiam decimam Præposito. Iste venerabilis præsul Bruno decimam in *Ricleveshusen* nobis dedit, quam Principes Brunsvicensis cum cæteris bonis abstulerunt.*)

Episcopo Brunone defuncto *Hermannus* Præpositus Sanctæ Crucis electus est. *Consulto tamen prius Imperatore*, qui eo tempore in Italia morabatur, Sacramentum fidelitatis suscepit; cunctisque negotiis suis, & commodis circa reditus Episcopales libera potestate dispositis, cum militia Dominum Imperatorem in Italiam sequutus, regalium investituram apud *Papiam* adeptus est. In Episcopatu denique constitutus, sociam semper habens humilitatem, cum timore Dei & omni mansuetudine subditos suos gubernabat. Idem Dominus Hermannus Episcopus ex consensu fratrum suorum *ad sepulchrum Domini* profectus est, in qua profectioe præter alios labores naufragium passus, ad tantam devenit inopiam, ut tantus Princeps, genere & dignitate præclarus, publicæ mendicanti subjiceretur; à Patriarcha tamen Iherosolymitano & ab aliis illius terræ religiosiis, & pie susceptus & honorifice est dimissus; rediensque ad Italiam sospes, ibi infirmari cœpit, & apud *Secusum* fide plenus defun-

defunctus est & ibidem sepultus. Circa illud idem tempus *Wycbberius* vel *Wichardus* Monasterio nostro præfuit in ordine X. qui annis rexit XII; ex remotis forte partibus oriundus, quondam Canonicus majoris Ecclesiæ: sed relicto sæculo ad Monasterium se transtulit. Rexit autem fratres cum omni sollicitudine & caritate, sepultus in remotis partibus. Cui *Theodericus* hujus nomine II. successit, XI. in ordine, qui tamen in ordine computatur decimus, forte ex negligentia scriptorum & diuturnitate temporis, cum tamen duodecimus (*) comprobatur, rexit annis XXIV. (23. *Hermannus* Præpositus S. Crucis, eligitur concorditer in Episcopum Hildesianum anno Domini 1161. Fuit *Friderico Barbarossa* Imperatori inprimis charus, à quo Mediolanum obsidente in Italia feudis & regalibus investitur. Præfuit summa prudentia, ac Ecclesiæ suæ eximio commodo annis 13. Sub eo deflagavit totum pene cœnobium Gandersheimense, quod tum à Domina *Adelheidi* undecima Abbatiſſa magnificè iterum instauratum, & ab hoc Episcopo consecratum est. Consecravit etiam Brunsvicensem Ecclesiam *S. Blasii* dicatam, ab *Henrico Leone* Brunsvicensium Duce conditam. Excepit omnium Imperii statuum nomine venientem Imperatorem *Fridericum Barbarossam* ad *Goslariensia Comitata*. Erat vir eloquens & suavissimæ pronuntiationis. Proficiscitur plenus dierum, religionis ergo ac pietatis studio, ad terram sanctam: orta autem in mari mediterraneo gravissima tempestate, passus est naufragium. Ibi arrepto assere, & ardentè invocato Dei præsidio (omnibus ministris ac nautis pereuntibus) solus & unus enatavit, & nudus litori appulsus, vestes & alimenta Hierosolymam usque mendicavit; ubi à Patriarcha clementer acceptus & tractatus, liberalissimèque iterum donatus est. Perlustrata autem & perreptata univèrsa terra sancta, iterum se mari credidit rediturus ad sua. Sed cum in Italiam superatis aquarum periculis venisset, in oppido quodam, Parmensi civitati vicino, subitum & gravem morbum incidens, aliquamdiu decubuit, ac tandem, urgentibus eum factis, piè se Deo Parenti, & ejus unico Filio Christo tradens totum, etiam occubuit anno Domini Incarnationis 1174. Sepelitur in ejus oppidi Ecclesia honorificè.) (* vir sanctus, humilis, doctus & facundus.*)

Adologus Præpositus Goslariensis, post decessum *Hermanni* Episcopi, ab omnibus est electus; qui pluribus, ut in privilegiis suis continetur, fratrum commodis piè prospiciens in præstatione castri *Homborch*, ipsum alienatum ab Ecclesia per *Henricum* Ducem, Domino *Friderico* Imperatore cooperante, datis pecuniis requisivit. Prædium quoque Comitis *Otonis de Asle* a vidua ipsius Comitis, Domina *Salome*, quod ad ipsam legitima successione devolutum erat, sua filia consentiente, aliisque suis hæredibus legitime consentientibus, multis laboribus & magnis impensis comparatum cum omnibus suis attinentiis, mediante Domino *Friderico*, Ecclesiæ nostræ acquisivit. Mansos VII, & VIII. jugera in *Stenem*, ad idem prædium pertinentes, & tunc temporis sibi vacantes, ad usum fratrum deputavit. Præstitit insuper mutuò duobus fratribus, *Ludolpho* & (***) *Wimbrando*, LX. Marcas argenti, quando Hierosolymam proficiscebantur cum Imperatore, Castro Ecclesiæ *Hallermune*, quod ipsi de manu Episcopi in pædium tenuerunt, loco pignoris recepto. Hic turrim construxit Monasterii sancti *Godehardi*. Obiit autem anno Domini MCXC, & sepultus est in medio cryptæ principalis Ecclesiæ. (24. *Adologus* Præpositus Goslariensis, Comes; sed cujus tituli, id ignoratur. Eligitur unanimi totius summi Hildesheimensium collegii consensu in Episcopum, post auditam mortem peregrinantis Episcopi *Hermanni*, anno Domini 1175. Præfuit prudentissime annis 15. ac aliquot mensibus. Emit cum consensu Imperatoris *Friderici Barbarossæ* Comitatum *Homburgensem*. Secutus est Imperatorem in *Armeniam*; qui, cum ibi flumen aliquot lavandi studio ingressus, in eo perisset: Episcopus cum aliis Germaniæ Principibus domum rediit. Secessit postea ex hac vita anno Domini 1190. Sepelitur in crypta templi summi.) (* *Adologum* Clufensis Monasterii fautorem privilegia declarant*)

Huic successit *Berno* Episcopus, qui prius Decanus Ecclesiæ nostræ fuerat, unanimi Cleri electione, & consensu totius populi, Ecclesiæ nostræ præfectus. Electus autem sicut vir prudens & providus, & litterali scientia præditus, ita Episcopatum temporalibus suis administrare curavit, ut & honestæ rerum acquisitioni, & earundem conservationi decenti, omnimodis intenderet. Ipse enim, præter multas servitii Imperialis expensas, parvo tempore quo Ecclesiæ nostræ præfuit, in redituum mensæ Episcopalis absolute, & in bonorum, quæ ab Episcopatu nomine feodi tenebantur & patinæ majoris calicis redemptione, DC. & eo amplius Marcas impendit. Sub isto Sanctus *Bernwardus* canonisatus fuit à tertio Papa *Celestino*, elaborante hoc præfato *Bernone* Præfule & *Theodorico* Abbate Monasterii sancti Michaelis, qui fuit vir per omnia providus, & laudabiliter rexit. Spiritualia tamen partim cœperunt tepescere propter nimias divitias. Ipse multa clenodia in casulis & cappis Monasterio suo contulit pro ampliacione divini cultus; & obtinuit insulam, sandalia cum cæteris libertatibus anno Domini MCXCV. Post hæc Episcopus in Domino defunctus, quie.

(*) duodecimus est in ordine in Chronico Cœnobii S. Michaelis pag. 400, & apud Meibomium Tom. II, pag. 519. (***) VVilbrando.

quiescit in medio Ecclesie majoris circa ascensum baptismi. (25. *Berno* vir eximius ac sapientissimus ex Decano in Episcopum eligitur, concordibus omnium summi collegii Senatorum suffragiis anno Domini 1190. Præfuit fideliter ac feliciter annis 8. Instauravit ac amplissimis proventibus donavit *Regiam prapositum Goslarieensem*. Impetravit à Romano Pontifice canonisationem ac apotheosin *S. Bernwardi* Episcopi Hildesheimensis, de tumba levati. Obiit anno incarnati Filii Dei 1198.) (* *Berno* annum unum rexit *).

Conradus Cancellarius frater noster, qui primum nostræ Ecclesie Episcopus, deinde ad *Herbipolensem Episcopatum* translatus, in ipsa civitate propter justitiam occisus est. Ipse Ecclesie nostræ ornatum decenter ampliavit. (26. *Conradus* nobilis Heros de Rabensborg Ostro-Francus, vir litteratus, facundus ac magnanimus, *Philippi* Regis Romanorum ac Svecorum Ducis summus amicus & fidelis Cancellarius; primum *Lubicensis* Episcopus. Desertæ ea Ecclesia cum *Friderico Barbarosa* & ejus filio Duce *Friderico*, suscepta nova Hierosolymitana expeditione, in Armeniam proficiscitur; ubi cum periret Imperator, absorptus à flumine, pergens cum *Friderico Svecorum Duce* strenuè sese in *Syria* gesit. Unde reversus post aliquot annos, *Bernone* Episcopo defuncto, Hildesheimensem Episcopatum consecutus est. Erat vir summa auctoritate apud omnes Imperii proceres præditus. Præfuit Hildesheimensi Ecclesie per unum annum saltem sed utilissimè. Eam Canonicorum Senatui liberè & cum summa gratiarum actione resignans, *Herbipolensi Episcopatu* ac *Francorum Ducatu* ab Imperatore *Philippo*, *Barbarosæ* filio, præfuit anno Domini 1199). (* Iste Hildesheimensis Episcopus factus, nescio qua electione in Herbipolensem sedem accitus, citra Romanæ sedis gratiam eò se transtulit. Unde factum fuit, ut tam Hildesheimorum Episcopatum quam Herbipolensem cathedram amitteret *).

Dehinc *Harbertus XXVI.* unanimi Cleri dilectione floruit Episcopus. Is quiescit ante altare sanctæ *Katharinæ* ad Aquilonem: vixit anno Domini MCCIII. Eodem anno resignavit venerabilis vir dominus *Theodericus*, sancti Michaelis Monasterii Abbas, sepultus in choro sancti Iohannis, & loco ejus *Hugoldus*, de *Corbeya* Monachus, eligitur. (27. *Harbordus* vel *Heribertus* eligitur difficillimis temporibus, quibus schisma erat gravissimum inter *Philippum* Regem ac *Ottonem Brunsvicensem Ducem*, à toto unanimiter consentiente clero, in Episcopum anno Domini 1199. Præfuit annis 9. Sub ejus gubernatione fundavit *Iohannes Gallicus* (a) Imperatoris *Otonis Quarti* Cancellarius, ex Parochia *S. Andreæ* Canonicorum secularium collegium. Ipse vero fundavit *Collegium S. Iohannis*: multa impignorata redemit, multa ædificavit. Obiit anno Domini 1208.) (* Ille Gandesianam Ecclesiam sibi subicere laborat; at frustra. Nam *Domina Mathildis prima* curiam Romanam petiit & privilegia victricia reportavit 1207. *)

Dehinc *Siffridus XXVII.* fuit electus Episcopus; quiescit ante altare sancti Petri. (28. *Sigefridus* ex *Fuldensi* cœnobio ad Episcopatus gubernationem evehitur à Rege *Philippo* anno Domini 1208. Præfuit annis 12. felicissimè ac utilissimè. Obiit 12. Novembr. anni 1221. Sepelitur in Basilica Cathedrali ante aram *S. Petri*. Fovit partes *Philippi* Regis; quo trucidato *Bamberga*, factus *Otoni IV.* supplicat, ut Ecclesia Hildesheimensis, ferro & igne jam vastanda, indemnitas esset, precibus & auro facile impetravit.)

Posthæc *Conradus XXVIII.* huic successit; in Domino quiescit penes (*) *Schonaviam*. Item anno Domini MCCXXI. obiit *Hugoldus* Abbas Monasterii sancti Michaelis, & sepultus in *Corbeya*. Post hunc successit *Deitmarus*, Abbas prædicti Monasterii XIII. Iste *Conradus* Episcopus, fuit excellens doctor in Theologia & XXVIII. in ordine. Qui postquam *Parisiis* in divina pagina laudabiliter rexerat, & crucem contra *Abbienses* prædicarat, assumptus fuit ad regimen Ecclesie nostræ: ubi, cum venerabilis vir Spiritu Dei regeretur, circa spiritualia magnam curam habuit; & tamen idcirco dispositionem temporalium non neglexit. Tempore enim suo recepti sunt fratres *Prædicatores* & *Minores*, & sorores *Sanctæ Mariæ Magdalene penitentes*; quibus omnibus (**) legaliter subvenit in Ecclesiis & officinis eorum ædificandis, & fundos eis propriis sumptibus fere comparavit. Claustra etiam *Wlincbusen* & *Franckenberg* & *Winbusen* suo tempore sunt constructa, quibus multa commoda præbuit & impendit. Proprietates etiam *Castrorum Depenou, Rosendal, Prynne, Poppenborg* & *Leuvenrot* comparat maximis sumptibus. Similiter *Insulam* castrum, prope civitatem nostram situm; & (***) *Emnam* civitatem expugnavit & destruxit. Tandem resignavit Episcopatu & profectus est *Schonaviam*; ibique ad Dominum migrans, feliciter quiescit. Rexit autem XXVII. annis; Obiit vero anno Domini MCCXLVIII. sed *Deitmarus* Abbas Monasterii Sancti Michaelis obiit anno Domini MCCXL, & rexit XXI. annis. Hic obtinuit Privilegia de novo pro sandalibus portandis ac benedictionibus dandis. Sepultus est ante altare Sancti Bernwardi; cui successit *Godscalcus XIII.* (29. *Conradus II.* nobilis Heros à *Reisenberg*, ex *Wederovia* natus, eligitur unanimi consensu Capitularium, ex Decano summæ Ecclesie *Spirensis* & Canonico *Moguntino*,

(a) Est *Iohannes Marcus*, cui *Gervasius* librum suum commendavit. vid. Tom. I. pag. 1005. (*) *Schonaviam* in edito Tom. I. (***) liberaliter, (***) *Emna* est *Gronawe* in margine erat adscriptum.

tino, propter eximiam virtutem ac sapientiam, in gubernatorem ac Antistitem Hildesheimensem anno Incarnationis Dominicæ 1221. Erat is vir doctissimus, & qui diu in Parisiensi Academia sacras literas summa cum laude professus fuerat. Præfuit utilissimè annis 24. Ferbuit ingenti Zelo provehendæ ac augendæ religionis. Primum enim Franciscanis ac Dominicalibus Monachis in urbem receptus, utriusque ordini cœnobium ac commodatissimas habitationes condidit. Hildesheimii item Monialium cœnobium construxit ordinis *D. Mariæ Magdalene penitentiariarum* in vicinia summæ Basilicæ. Fundavit una cum *Henrici Palatini uxore Wynbusensæ cœnobium Monialium ad Alnum* fluvium. Duo item alia Virginum cœnobia, *Wulsinckbusensæ ac Franckenbergensæ* ad Goslariam situm. Erat acerrimus custos disciplinæ Clericorum. Refecit ac instauravit palatium episcopale; arcem item *Wintzenburgensæ*, oppidum & arcem *Rosarum vallis*, ac castrum *Scardecensæ* maximis impensis, quarum pars successoribus solvenda relicta est. Qua vero virtute *Empnensæ oppidum* (Gronawe) expugnavit, & arces, latronum receptacula ac latebras, Insulas ac *Scardecensæ* vastavit, longum esset commemorare. Anno Domini 1245. gravissimo schismate inter Pontificem & Imperatorem exorto, resignavit Episcopatum liberè, & quietem sibi querens, Prædicatorum Hildesheimensium cœnobium ingressus est, in eo reliquum vitæ acturus. Cum autem post suam resignationem Capitulares Canonicos in eligendo successore discordes, & in capitalia odia scissos esse videret, Hildesheimii manere noluit; sed in *Schonoviensæ Monasterium*, Heidelbergensi urbi vicinum profectus, ibi tribus fere annis adhuc superstes, debitum naturæ tandem anno salutis 1248. absolvit; ubi & honorificè sepultus ac terræ parenti redditus est.) (* Iste Doctor excellens sedem meruit Pontificalem 1222. Clusensi cœnobio decimam in *Andensten* dedit anno Domini 1238. *)

Post cessionem venerabilis Domini *Conradi* Episcopi, Dominus *Henricus*, Hillegenstadiensis Ecclesiæ Præpositus, in Episcopum nostrum eligitur; qui non modicas molestias sustinuit a quodam postulato, dicto *Hermanno*, Præposito Ecclesiæ Sancti Cyriaci in *Brunswick*, sed Innocentius Papa IV. dicto postulato silentium imponens, *Hinricum* confirmavit. Præfatus *Hinricus* multa bona contulit Ecclesiæ suæ, præsertim Advocatiam in *Hardeshem* ac medietatem castri in *Homborg*. Obiit anno Domini MCCLVII, ordinationis suæ anno XI. sepultus est ante altare Sanctæ Catharinæ ad Austrum. (30. *Henricus* eligitur à majori Capitularium parte in Episcopum Hildesheimensem anno Domini 1245. Contra hunc ab alia parte postulatur *Hermannus* quidam, Præpositus in S. Cyriaci Brunsvicensi Canonicorum collegio. Confirmatur *Henricus* ab Archiepiscopo *Moguntino*; consequitur item Regalia à Romano Rege. Hæc dum ille circumequitans acquirit, *Hermannus* interim occupato Episcopatu Hildesie, plena ejus gubernatione fruitur. *Henricus* nihil habebat reliquum, nisi arcem *Wintzenburgensæ*. *Lugdunum* itaque ad Romanum Pontificem *Innocentium quartum* profectus, & de violentia *Hermanni* gravissime conquestus, tandem post varias & longas digladiationes tantum effecit, ut excommunicationis metu percussus *Hermannus* locum daret *Henrico*, qui laudabiliter postea præfuit ad annum Christi usque 1257, cum jam à prima electione undecim anni & aliquot menses effluxissent. Mortuus in mense Martio sepelitur in summa Basilica Hildesiana ante aram S. Catharinæ).

Post decessum Domini *Hinrici* pari voto Dominus *Iohannes*, Præpositus Sancti Mauricii, in nostrum eligitur Episcopum; qui omnibus carus & dilectus extitit & Ecclesiæ bene præfuit. Castrum *Peyne* ex toto subegit nostræ diœcesi; quanquam modico tempore vixit, nondum quatuor plene annis in regimine. Obiit anno Domini MCCLXI, sepultus in ascensu baptisterii ad Austrum. Sed anno Domini MCCLX. obiit *Godscalcus* Abbas Monasterii Sancti Michaelis Hildesimensis, sepultus ante altare Sanctæ Crucis in eodem Monasterio. Hic reparavit Ecclesiam ruinofam cum ambitu, & plures indulgentias obtinuit: sed vita regularis cœpit paulatim destitui. Cui successit *Ernestus*. (31. *Iohannes* fit Episcopus anno Domini 1257, vir insigniter doctus. Præfuit summa cum laude, utilitate, & commodo Ecclesiæ maximo, tantum quatuor annis. Obiit anno 1261, quo bellum ei denuntiarant Brunsvicensis Principes *Iohannes & Albertus*, qui Comitatum *Paynensæ*, (quem emerat, & iusto titulo ac jure possidebat Episcopus *Iohannes*) vi ad se rapere conabantur.)

Post decessum Domini *Iohannis* Episcopi *Otto*, filius *Ottonis Ducis de Brunswick*, postulatur in Episcopum, præfato *Otone* agente XIII. annum. Postulatione vero de se facta usque ad quintum annum pendente, à Papa *Urbano III.* confirmatur. Hic ab eo tempore, quo nostram Ecclesiam suscepit regendam, usque in finem vitæ suæ, Zelum Dei ad Ecclesiam obtinuit, eamque proviribus extollere studuit. Hic Castrum *Borchdorp*, *Hude & Werd* pro multa pecunia, similiter & *Hallermunt* Ecclesiæ acquisivit; domum Episcopalem in Hildesem quasi dirutam renovavit. Similiter renovavit castrum *Poppenborch*, *Winsenborch & Payne*. Quid plura? Ecclesia per ipsum incrementum longe amplius recepisset, si & domestica & fratrum persecutio abfuisset. Unde iniquo consilio actum est, quod Dux *Iohannes* frater suus armata manu contra Episcopum *Ottonem* & Ecclesiam procescit, & gravia damna possessionibus Ecclesiarum irrogavit. Eo pacificato, tertius frater *Albertus senior*, stimulo in-

Hhhhh 2

vidiz

vidiæ contra fratrem suum Episcopum agitatus, ipsum & Ecclesiam humiliare disposuit. Sed, heu! periculum fuit in falsis fratribus. Nam Camerarius, Marscalcus, Pincerna & cæteri officiiati, ut verisimiliter putabatur, id subordinarunt. Sed ecce iniqua forte Dux *Johannes* præmoritur, & Dux *Albertus* tutor admittitur; unde ex morte unius & metu alterius omni fere solatio destituitur. *Tzerstede* & *Empne* in ista persecutione igne consumuntur, & nobiliores terræ & potiores inibi captivantur. Unde a multis putabatur, quod hujusmodi tristitia præstitit causam suæ mortis. Obiit autem anno Domini MCCLXXIX. in die beati Odolrici, sepultus ante altare Sanctæ Crucis. Deus vero, cui nihil est impossibile, mirabile quoddam ostendit: nam elapsis sex hebdomadibus, frater suus Dux *Albertus* eodem die post moritur, tanquam Dei judicio evocatus. (32. *Otto* Dux Brunsvicensis, frater *Johannis* & *Alberti*, Paynensi Comitatu insidiantium, unanimi consensu omnium summi Collegii Canonorum postulatur & eligitur anno 1261. Confirmatur à Pontifice Maximo Gregorio X, & consecratur in ejusdem ac plurimorum Episcoporum præsentia Lugduni in Galliis in congregata illic synodo anno Domini 1266. Præfuit prudenter & summa cum virtute annis 18. Non habuit alios hostes quam Germanos fratres, quibus etiam non potuisset habere atrociores. Hi ferro & igne Episcopatum vastantes fecerunt, ut animi mœrore consumtus moreretur, quod factum est in die S. Ulrici anno à Christo nato 1279. Sepelitur in summa Basilica ante S. Crucis aram.) (* Filius *Otonis* (Pueri), de *Luneborg* dicti; qui filius *Wilhelmi*, fratris videlicet *Otonis quarti* Imperatoris, post patrum suum *Henricum* Princeps Brunsvicensis evasit, etiam capta civitate. Habuit idem Episcopus *Otto* fratrem, nomine *Conradum*, *Verdenis* Ecclesiæ Præsulem *).

Defuncto *Otone Siffridus* Magdeburgensis Ecclesiæ Decanus, de nobili sanguine de *Quervorde* (*) originem trahens, vir per omnia magnanimus & multis pollens virtutibus, in nostrum eligitur Episcopum. Hic postquam confirmatus esset & consecratus, & regalium investituram a Serenissimo Romano Rege *Rodolpho* esset adeptus, pro viribus Ecclesiæ bona, incendiis & rapinis vastata, studuit reformare. Nam *Tzerstede* restauravit, *Empnam*, in loco tutiori locatam, mutato nomine *Gronauwe* appellavit. Multas molestias a Ducibus *Henrico*, *Alberto* & *Wilhelmo de Brunsvic* sustinuit, sed ipse tanquam fortis athleta eis viriliter resistit. Orta namque inter Duces discordia, ipse duobus eorum *Wilhelmo* & *Alberto* confederatur, & *Helmstede* obsederunt, ubi tres nobiles milites Diœcesis nostræ, videlicet *Steinberg* & *Saldar* &c. dolo interfecti fuerant. Ipse castrum *Harlingberg* obsedit cum suis adiutoribus & cepit, atque destruxit; & non longe ab eodem castro *Leuenborg* castrum construxit. Quare Duces omnes iterum conglobati, contra ipsum sævierunt: sed contra athletam fortem modicum profecerunt. Ipse etiam castrum, quod *Ruthe* dicitur, construxit, ex quo Duces castrum *Calenberg* in offendiculum terræ nostræ construxerant. Destruxit etiam castrum *Uster*, *Everborg* & *Geveldebusen*. Magna pecunia emit castrum *Herste* prope *Gottingen*, & *Hundebrugge* cum oppido *Dassel* & *Westerhove*. Ipse etiam incepit ædificare Capellam prope aulam Episcopalem, quam & complevit, & quatuor Canonicos ibidem instituit, & cuncta bona eis contulit pro eorum sustentatione. Quamvis enim temporalibus intentus, totis tamen cordis visceribus diligebat Christum Regem. Nam divinum officium omni die coram se decantari fecit, nisi eum magna necessitas impedivisset. In festivitibus etiam chorum devotissime frequentabat, & cum Clericis decantabat. In summis festivitibus ac ordinationibus Clericorum, ac velatione virginum, aliisque Pontificalibus officiis tanta sibi virtus à Domino devotionis est concessa, cum per se sacra Missarum solemnia celebraret, ut in lacrimas communiter prorumperet. In correctionibus etiam excessuum diligentissimus fuit, similiter & in ammonitionibus; immo in tota sua conversatione exemplar fuit: quæ omnia brevitatis causa superfedeo. Rexit autem ecclesiam nostram annis XXX. & mensibus X. Obiit anno Domini MCCCX, sepultus in medio Ecclesiæ sub corona. Sed anno Domini MCCCXVII. obiit *Ernestus*, Abbas Monasterii Sancti Michaelis in Hildensem. Hic emit bona in *Ruthenberg* & in *Bekom*. Alias pauci inveniuntur de Abbatibus ante eum, vel forte post eum, qui aliqua bona emissent; sed omnes contenti fuerunt in donatione Sancti *Bernwardi*. Sed multa bona ablata sunt per Episcopos, & aliis Ecclesiis data, heu, heu! Post eum reperiuntur nonnulli, qui alienata recuperarunt. Is tumultatus est ante altare Sancti *Bernwardi*, cui successit *Otto*, natus de progenie *vam Kampe*. Iste *Otto* post unum annum resignavit, & accepit pro contentatione domum hospitalis ad vitam cum certis bonis; in ordine XVII. Resignavit autem anno Domini MCCCXVIII, sicut patet in sua resignatione. Post eum electus est *Henricus de Wenibus*, sed, proh! religio jam defecit in Monasterio; in ordine XVIII. (33. *Sigfridus* hujus nominis secundus Comes à *Quervord*, Decanus summi collegii Magdeburgensis, à *Bernhardo* Magdeburgensi Archiepiscopo & *Alberto* *Marchione Brandenburghensi*, juvantibus *Otonem* contra fratris *Alberti* injurias ac violentiam, Canonorum Hildesheimensium summo Collegio diligentissime commendatus, assumitur in Episcopum *Otonis* successorem anno Domini 1279. Confirmatur ab Archiepiscopo *Moguntinensi*

(*) in Chron. Tom. I. edito est *Quirenrode*.

guntino; investitur feudis ac regalibus à *Rodolpho Habsburgio* Rege Romanorum: vir summa virtute, doctrina etiam ac sapientia eximia ornatissimus. Præfuit annis 30. mensibus 10. cum summa gloria & laude. Captos cives à Brunsvicensibus magno ære redemit. Eversum oppidum *Empnense* instauravit, sed in alium & munitiorem naturâ locum ex veteri translatum, id novo etiam nomine *Gronaw* appellavit. Digladiantibus eo tempore inter sese civili bello Brunsvicensibus Ducibus, non omnino à Martis studiis immunis esse potuit. Acquisivit tum *Herlinsburgum*, etsi vastatum ab ipsis ac solo æquat; in cujus locum Episcopus ædificavit *Leuvenburgum* fortissimam arcem, quod videretur iste locus ad vim ab Episcopatu arcendam maxime idoneus. Id molestè ferentes Brunsvicenses Duces *Henricus & Albertus*, ad oppugnandam arcem & in suam ditionem redigendam sese parant. Hos Episcopus manu subito collecta magnanimitè adortus, in fugam vertit, ac fugientes ingenti clade affecit. Brunsvicenses aliquoties fortiter profligati & elusi ab Episcopo, redintegrant bellum, & ascitis in suas partes aliis etiam vicinis Principibus, *Ottone* videlicet ac *Hermanno* Marchionibus *Brandenburgensibus*, ferro & igne Episcopatum populantur. Episcopus collecto exercitu quam potuit maximo, conducto etiam externo milite, ipse quoque Principum arces & pagos diruit, incendit ac solo æquat tamdiu, donec res per alios Principes transacta componeretur. Fuit utilis gubernator temporalium & homo felicissimus. Condidit & emit multas præclaras arces; quædam item oppida. Obiit tandem 27. Aprilis anni à nato Christo 1310. Sepelitur cum omnium suorum incomparabili lætæ in media Ecclesia cathedrali, sub pendente in ejus templi medietate insigni corona.) (* *Bartoldo* Abbati secundo *Clusensi* confirmavit, nedum (non solum) quicquid in *Lusolvesten* & in *Clusa* tunc videbatur habere: sed & id, quod in posterum justis modis adepturi essemus in eisdem locis *).

Post obitum venerandi Domini *Suffridi* Episcopi electus est *Hinricus de Woldenborg* Comes, Decanus Ecclesiæ nostræ. Iste, quia vir mansuetus fuit, à quibusdam vocabatur *Alcke*. Hic ædificavit castrum *Sturwold*, quod & *Alekenborg* vocavit, & civitatem obsidens in tantum artavit eosdem, ut sibi *homagium* facerent, & libertates pristinas Ecclesiis restituerent; & multa inveterata & abolita pro libertate Ecclesiæ suæ renovavit, & rebelles sibi cives potenti manu compescuit. Hic castrum *Hombocke* destruxit & oppidum *Bokenem* pro magna pecunia comparavit. Dux etiam *Otto Luneburgensis* oppidum *Hanoover* ab eo in feodum cepit, & se vasallum Ecclesiæ recognovit. Usurarum etiam voraginem, qui apud cives inoleverat, valde restrinxit; castam vitam duxit, vir simplex & rectus, & Pontificiale officium sedulo exercuit. Tandem pro libertate Ecclesiæ suæ Romam adiens, in itinere febri correptus, migravit ad Christum, sepultus in monasterio Sanctæ Claræ Avinionæ, anno Domini MCCCXVIII, Pontificatus sui anno IX. Item anno Domini MCCCXXI. obiit *Hinricus* Abbas Monasterii Sancti Michaelis, sepultus in Capella Sanctorum Philippi & Iacobi. Hic multa bona, per suum præcessorem & successorem alienata ante, fortassis per querras, recuperavit, & ad tempus expulsus fuit à *Connado de Steinberg* suo successore, & tempore suæ expulsionis construxit *Monasterium Prædicatorum in Brunstwick*. Sic tandem revocatus ad Monasterium Sancti Michaelis, nescio qua de causa; an propter suam probitatem, an propter alterius insolentiam, Deo constat. (34. *Henricus* secundus hujus nominis, Comes à *Woldenberge*, constituitur ex Decano summi collegii *Hildesheimensis* in Episcopum anno Domini 1310. Præfuit octo annis laudabiliter & utiliter. Seditiosam ac tumultuantem *Hildesiam* obsidet, & ædificato contra eam castro *Sriuregwaldensi* (quo nomine se Deo duce improbam subditorum violentiam compescere velle minitabatur) eo urbem adegit, ut & sese dederet, ac suppliciter Episcopo facta, perpetuo sese posthac obtemperaturam sanctè polliceretur. Ita urbs certis pacis conditionibus in gratiam recepta est. Consecutus est privilegia, & novorum Comitatum *Dasselenfis* & *Canini tergi* investituram ab Imperatore *Henrico septimo* *Lucelburgo*. *Heymborgensem* arcem expugnat, vastat ac solo æquat, ex qua sæpe plurimum incommodi illatum fuisset *Hildesiano* Episcopatu. Contendit de juribus quibusdam cum vasallo suo *Ottone* Duce *Brunsvicensi* ac *Luneburgensi*; idque dissidium eo devenit, ut levibus aliquot præliis decertaretur, tandem auctoritate aliorum Episcoporum ac Principum reconciliatum. Emit *Bockhemium* oppidum cum adjacentè territorio. Fuit vir justus, æqui observantissimus, erga suos benignus ac placidissimus: hostibus vero hostis etiam, & injuriarum ultor magnanimus; conservandæ perpetuæ castitatis studiosissimus; in usurarios animadversor acerrimus. Tandem à quibusdam invidis, nescio quibus *Calumniis*, apud Romanum Pontificem traductus, nullius sibi mali conscius, *Avinionem* petit, ut se apud Pontificem purget. Sed aderat fatalis dies, aderat hora ultima vitæ. Correptus itaque acuta febri, post pauculos dies, quibus ibi decubuit, ex mortali vita emigravit 12. Junii anno 1318. Sepelitur in ejusdem urbis *Monialium* cœnobio ad S. Claram.)

Venerabili Domino *Hinrico* defuncto successit patruus ejus Dominus *Otto de Woldenborg*, Præpositus Sancti *Mauritii*, in Episcopum nostrum concorditer electus; vir probus & justus. Castrum *Lutter* emit & *Lindow* magna pro pecunia. Ipse instituit auream missam

decantandam, quam solemniter & legaliter dotavit. Rexit Ecclesiam nostram in summa pace & tranquillitate sic, quod subditi sui ut plurimi in tantum ditati fuerunt, ut etiam rustici cum mantellis de vario fodemto incederent, cooperantibus sibi favore & amicitia Ducum de Brunswick & Luneborg, Ottonum scilicet. Obiit anno Domini MCCCXXXI. ordinationis suæ XV. & requiescit ante altare omnium Sanctorum. Sed anno Domini MCCCLIII. obiit Conradus in ordine XIX. de Steinberge, sepultus in Capella Sanctorum Philippi & Iacobi in Monasterio Sancti Michaelis, cui successit Hartmannus Vrese. (35. Otto secundus hujus nominis Comes à Woldenberge, Præpositus ad S. Mauritium, eligitur in Antistitem Episcopalis sedis Hildesianæ unanimibus totius Capituli sententiis ac suffragiis anno Domini 1318. Præfuit annis sedecim optimè & utilissimè. Vicit ingenti prælio primis statim suæ gubernationis mensibus seditiosos quosdam Centavros, arma contra Dominum suum & contra Ecclesiam sumentes: quorum multi in eo conflictu cæsi & interemti sunt; reliqui omnes capti, multo auro redimere sese coacti sunt. Hoc aurum omne contulit Episcopus ad illustrationem castrorum, templorum ac oppidorum Episcopatus: hoc ipso multa, ab antecessoribus oppignorata, redemit: multa nova prædia & oppida & castra emit. Fecit fœdus cum Ducibus Lunenburgensibus ac Brunsvicensibus, ac quieta post primos grassatores debellatos gubernatione usus ac potitus est deinde semper. Decesit ex hac misera & lugubri vita anno 1334. Sepelitur in summa Basilica. Ultimus suæ gentis fuisse, & totum suum Comitatum Ecclesiæ Hildesheimensi obtulisse dicitur.)

Post obitum Domini Ottonis successit Illustris ac elegans Dominus Henricus Dux de Brunswik, XXXIltus in ordine, in cujus electione detestabile schisma surrexit. Nam quidam adhærebant suæ electioni; alii vero Domino Erico de Schomborg, per sedem Apostolicam proviso; cui etiam cives Hildesimenses adhæserunt, paucis demtis, qui de civitate expulsi fuerant; & alii remanentes se fortiter Domino Henrico opposuerunt. Nam oppidum Dam, Domino Henrico adhærens, ceperunt, & funditus destruxerunt, cooperantibus eis quibusdam Vassallis nostris. Anno Domini MCCCXXXII. in nocte natalis Domini idem Henricus abduxit aquæ fluxum Indistria à molendino Episcopali. Construxerunt propterea Hildesimenses in emendam destructionis Dammonis Castrum Marienburg, & de singulis domibus adhuc hodie datur Vronetins ad idem castrum spectans, demtis aliquibus bonis feudalibus, quæ habent Domini Episcopi & Monasterium Sancti Michaelis, & pauci Vassalli. Occasio autem compulsionis ad ædificandum castrum suprædictum fuit ista, quod Episcopus vicit eos prope molendinum de Lamolen in prato civitatis, ubi multi captivati & submersi fuerunt. Idem Henricus ab Innocentio Papa absolutus & reconciliatus fuit, post obitum Erici anno Domini MCCCXLVII. Idem etiam castrum Woldenstein, Sladen, Wydenla à Comitibus de Sommerschenborg pro magna pecuniæ summa Ecclesiæ nostræ acquisivit. Reliquit successori suo X. castra non impignorata. Obiit autem anno Domini MCCCLXII, sepultus ante altare Sanctæ Katharinæ. Sed anno Domini MCCCLXIII, anno XIII. regiminis sui obiit Abbas Hartmannus Vrese in ordine XX, sepultus circa altare Sancti Petri ad Aquilonem. Iste Hartmannus multa bona alienavit in Medel & in villis circumiacentibus. Vineam etiam retro Monasterium, inter Indistriam & murum civitatis, quam sanctus Bernardus Monasterio suo dedit, & campum retro molendinum cum quibusdam aliis bonis. Sed tamen suo tempore multæ guerræ fuerunt & lites, sicut patet de Episcopo Henrico, qui magnas contributiones exegit pro comparatione castrorum. Cui successit Bodo de Oberge, adhuc puer electus. (Henricus tertius hujus nominis Dux Brunsvicensis, frater Halberstadenfis Episcopi, eligitur unanimi consensu totius fere summi Cleri in Episcopum ac gubernatorem Hildesheimensem anno 1334. Contra hunc excommunicationis fulmine tactum, intrudit Ecclesiæ Romanus Pontifex Ericum Comitem de Schowenborg, qui à civibus ac nobilitate in urbem receptus, plena ibi gubernatione potitus est: Henricus castra tantum quædam habuit. Hoc gravissimum schisma & implacabile disfidium duravit per annos 14, quibus neuter cedere voluit, sed alius alium nusquam non, qua potuit, summa vi persecutus est. Hic annis non habuit alios funestiores Ecclesia Hildesheimensis. Singulis enim diebus fere certatum est, prædia & oppida expugnata, cives trucidati: neque fuit quisquam, qui hanc controversiam dirimere posset, nisi omnia videns, omnia gubernans, & omnem impietatem ac violentiam vindicans ipse Deus. Is Ericum anno Dominicæ Incarnationis 1348. letali morbo correptum, mox è medio sustulit. Henricus urbem supplicem sibi factam insigni equitatu ingressurus, prope arcem Sturgwalt in Erici adversarii sui complices ac satellites, ad sua se jam recipere volentes, incidit: ubi cum ipsis acerrimè ac felicissimè conflixit, multos trucidans, plures capiens; quibus in urbem reductis gravissimas multas irrogavit. Urbem in gratiam recepit, sed ea lege & conditione, ut tamdiu, donec arcem Marienburgensem, nuper adeo inchoatam, absolveret, semper Senatus urbanus artifices & opifices omnes, in ea laborantes, exsolveret. Postea ab anathemate liberatus & Pontificia auctoritate confirmatus, quietâ gubernatione potitus, sapienter ac utilissimè & summa cum laude præfuit ad annum Christi usque 1362, quo ex hac mortali vita plenus dierum evocatus

tus

tus est, cum jam à prima electione anni viginti novem effluxissent. Sepelitur in Ecclesia cathedrali ante aram S. Catharinæ, cum tali, etsi admodum rudi ac barbaro Epitaphio; cum petiisset tum adhuc superstes, ut Brunsvigæ in collegio S. Blasii apud parentes suos conderetur.

Post M, post tria C, post sexaginta duoque
Hunc sol sexta necat Februi, qui pace quiescat.
Creverat Ecclesia per eum, præstante Maria.
Præful pacificus *Henricus*, honoris amicus,
Hic est prostratus, Brunsvig de Principe natus.

Reliquit Episcopatu decem fortissimas, ac omni ornamentorum genere instructissimas, nulloque prorsus alieno ære gravatas arces, videlicet *Marienburgum, Wintzenburgum, Lewenburgum, Steurwaldum, Reutum, Paynum, Schlatbemum, Widclagium, Lauberanum & Woldensteinium* (* Iste *Otonis primi* Antistitis Hildesianorum fratris, videlicet Alberti filius fuit, habuitque fratrem Halberstadenfis Ecclesiæ Antistitem, *Albertum* nomine, & post patris mortem *Magnum* fratrem Ducem Brunsvicensem. Septem annis contra cives suos Hildesianos arma movit; castrum *Marienborg* dictum ædificavit. Porro autem, cum ipsum castrum in fundo possessionis Monasterii *Novalis Mariae*, renitentibus Monasterii ipsius Patribus, fundasset, Dominus Abbas in possessionis defensionem se contra Episcopum armavit, & post plurimas rei illius causa disceptationes, eò tandem Summi Pontificis telis Antistitem aggressum compulit, ut castri ipsius claves in Abbatis sinum ponere cogere, satisfactione promissa. Qua in causa cum per aliquot dies laboratum fuisset, compositis prudentum consilio partibus ita res finem accepit, ut molendinum, quod ante civitatem Hildesianorum situm, & juris fuit Episcopi, Monasterio in compensationem ablaturum Episcopus restitueret, & sic Ecclesiæ maneret castrum ædificatum. Ad aliquot deinde annos cum ipsum molendinum Patres tenuissent, mala (ut moris est) contra Monachos succreverunt, civibus magis ac magis contra ipsos tumultuantibus, & non æquè uni atque alii molere illos causantibus, idque genus alia in medium afferentibus. Molestè enim ferebant, Monachos molendinum possidere ante civitatem. Super re ista in diem statutam convenientes acturi, negotii mediatores statuere; qui inter partes adversas agentes eò negotium perduxerunt, ut Hildesiani molendinum tantopere concupitum in sua acciperent, pensionem annuam Patribus soluturi, qua soluta, cæteris omnibus ex illo proventibus non secus atque Domini ipsi potirentur. Quod ubi placuit, pacti sunt, se illis quotannis daturos ad diem constitutum certam frumentorum taxam.*** Insuper ipso die Bartholomæi Apostoli duodecim sive tredecim porcos, per Patres sibi præsentatos, ad saginarium ejusdem loci accepturos, quos saginatos die Clementis & non ante illis postulantibus redderent. Pactum placuit, ratumque habitum confirmatum est. Et multo plus se Patres gaudere dicunt de commutationis istius pacto, quam gaudere unquam potuissent de molendini possessione, omnibus singulis in calculum positis, quæ opus fuit ad conservandum inesse molendinum expendere, cum quotidianis perturbationibus, curis & occupationibus. Idem *Henricus* sororem habuit, *Matildam* nomine, Ecclesiæ Gandesianæ Abbatissam, à qua, (ut in eadem Ecclesia dicitur) oppidum *Bocknem* obtinuit, datis illi & Ecclesiæ Gandesianæ triginta tribus agrorum mansis in diocesi*).

Post obitum Domini *Hinrici* successit Doctor *Ioannes Scadelant* ex ordinatione Papæ ordinis Prædicatorum, qui post II. annos resignavit, sepultus in Maguntia apud Prædicatores. (37. *Iohannes Schadlandius* Dominicafter è Colonia natus, Sacræ paginæ Doctor, à Pontifice Maximo Gregorio XI, sine consensu summi Senatus Canonorum, Ecclesiæ Hildesheimensi obtruditur anno Domini 1362. Præfuit duobus annis, non tamen integris. Cum veniens Hildesiam, quæsisset statim, ubi Bibliotheca, ubi essent libri, quibus usi essent antecessores Episcopi? (erat enim ipse homo studiis Philosophiæ & sacrarum scripturarum totus deditus, Monasterio & quieti assuetus). Aulici vero in armamentarium eum introducetes, & ostendentes ei omnis generis arma & instrumenta bellica dicerent, cum talibus libris fuisse hæctenus negotium Episcopis; ejusmodi codices nunc etiam esse evolvendos, acriterque pugnandum contra vicinos, jam hoc, nunc aliud, ab Ecclesia rapere volentes: adventus eum sui illico pœnituit. Videns vero tandem, vera sibi dicta esse ab Aulicis, cum jam undiquaque tumultus renovarent cum oppidani tum alii vicini; de quiete ista deserenda cogitavit. Pontifici itaque scriptis literis de loco, suis studiis nequaquam idoneo, conquestus; impetravit quietiorem locum, Episcopatum videlicet *Augustanum*: ubi qua fortuna usus sit, aut quæ eum postea fors *Wormatia* etiam exceperit, ex Augustanorum ac Wormatiensium Catalogis petet studiosus lector.

Post hunc ex ordinatione Papæ successit Dominus *Gerhardus* de genere *Baronum de Monte prope Myndam*, pro tunc Episcopus Verdensis. Hic III. Episcopatus sui anno scilicet MCCCLXVII. cepit

in bello prope Dynckeler Ducem *Magnum* de Brunswik, *Theodoricum* Episcopum Magdeburgensem, *Albertum* Episcopum Halberstadensem, de quibus recepit *tredecim milia* Marcarum in amicitiam; de qua pecunia construxit & dotavit ac fundavit *Carhusiam* prope Hildensem. Castrum *Koldinge* & *Vynenborg* multo pretio Ecclesie nostrae acquisivit. *Steinbrugge* castrum construere cepit. Idem calicem aureum Beatæ Mariæ obtulit. Rexit Ecclesiam nostram annis XXXIII, & suis Clericis & subditis multum erat affabilis & benignus. Multas etiam orationes & dictamina tam metricè quam prosaicè per se ipsum edidit. Propter suum senium coadjutorem cepit Dominum *Iohannem*, filium Comitis de *Hoya*, qui tunc temporis Episcopus *Paiberbornensis* fuit, & post hoc modico tempore *Gerhardus* supervixit. Obiit ergo anno Domini MCCCXCVIII. sepultus in *Carhusia*. Sed anno Domini MCCCCLXXX. anno XV. regiminis sui obiit Abbas *Bodo*, & quia gladio pugnavit, gladio periit. Interfectus fuit prope castrum de *Marienborg*, & sepultus est in medio Choro sancti *Iohannis*. Cui successit Abbas *Hartmannus Hake* militaris XXII. in ordine, & rexit annis XIII. De eo forte verificatum fuit illud Propheticum: *Residuum eruca comedit locusta*; quia prodigus fuit, ut salva pace sua dicam. Omnia quasi bona impignorata fuerunt, an per eum aut prædecessorem suum, Deo constat. Fuit tamen vir aliunde multum sapiens & magnus in consilio Episcopi *Gerhardi*. Æstimo, quod ultra duos mansos non reliquit, quando obiit. Sepultus est ante altare sanctæ *Katharinæ* anno XIII. regiminis sui, anno vero Domini MCCCXCIII. Cui Abbas *Iacobus* successit in ordine XXIII, electus in controversia cum Abbate *Alberto Gripetam*. Præfuit annis quasi duobus, Custos vel Prior præcedentis Abbatis. Ipse tradidit bona in *Dorß* & *Renshusen Thiderico* & *Iohanni diētis de Hardenberge*, qui inde dederunt Monasterio nostro censum annuum in civitate *Northemensis*. Tandem convictus resignavit Abbatiam Domino *Alberto Gripetam* anno Domini MCCCXCVI, dederuntque sibi in prompto *I. lodige marck*, cum certis aliis bonis ad vitam, ut apparet in litera Episcopi *Gerhardi* de resignatione sua, desuper confecta. Deinde successit *Albertus Gripetam* de simplici progenie natus. Hic per omnia bene rexit in temporalibus; vir strenuus & iustus fuit XXIII. in ordine, sepultus ante altare Sancti *Bernwardi* ad Meridiem a latere. Cui successit *Hinricus Peppersack*, de Sancto *Godehardo* vocatus. (38. *Gerhardus* Baro de Monte, primum Cantor, postea Decanus summi Collegii *Hildesheimensis*. *Rodolpho* tandem Episcopo *Verdensis* Ecclesie substituitur: ubi cum sapientissimè & summo cum Ecclesie commodo, laudabiliter etiam præfuisset, post discessum Episcopi *Iohannis Dominicastrii*, à Pontifice *Gregorio XI* *Hildesiano* Episcopatu præficitur. Resignata itaque Ecclesia *Verdensis*, *Hildesiam* venit anno Domini 1364. Fudit & cepit primo statim gubernationis suæ anno prope *Elzium* sexaginta equites *Westfalicos* ad unum omnes, qui latronum more undiquaque in provinciis ac territoriis, ad Episcopatum pertinentibus, grassati erant. Postea cum tumultuantibus *Brunsvicensibus* Ducibus, *Magno* & aliis, (qui Archiepiscopum *Magdeburgensem* & Episcopum *Halberstadensem* auxiliares habebant) congressus, feliciter etiam dimicavit, cæsis à *Brunsvicensium* parte mille & quingentis, cum *Gerhardi* totus exercitus vix esset quingentorum; captis item plurimis nobilibus ac Ducibus, inter quos erat & *Albertus Halberstadenensis* Episcopus. Voverat autem congressurus hosti, *D. Virginis Basilicæ* aureum tectum, si præsentia divini Numinis juvaretur, & victor evaderet: quæ sine dubio (si victoria ad Duces devolveretur) vix esset habitura stramineum. Eligeret ergo *D. Virgo*, utro mallet, stramineo ne, an aureo tecto exornari. Cum itaque victor in urbem redisset, omnem multam (quam ex captis Ducibus emunxerat) convertit in ornandam Ecclesiam. Turriculam vero, summæ Basilicæ *Marianæ* choro superimpositam, totam optimo auro *Hungarico* superinduci, ac elegantissime illustrari fecit, ne posset *Diva Virgo* de ipsius ingratitude conqueri. Fundavit idem Episcopus *Carhusiam*, quæ est ante muros *Hildesheimenses* magnifica. Habebatur tunc temporis *Albertus Halberstadenensis* Episcopus pro insigni *Logico*, acutissimo videlicet & optimo disputatore: *Gerhardus* vero pro insigni *Rhetore*. Cum ergo captus esset *Albertus*, natum est inde proverbium, quod totam *Saxoniam* pervasit; in quo dicebatur *Logica victa* & superata esse à *Rhetorica*. Rebus jam aliquamdiu pacatis, quieta gubernatione usus est; donec tandem, *Ottone* & *Alberto Brunsvicensibus* iterum tumultuantibus, priora omnia renovata sunt, quos tum Dei præsidio iterum feliciter ultus est. Assumpsit tandem in Coadjutorem *Iohannem Comitem ab Hoya*, Antistitem *Paidebornensem*, fratrem Episcopi *Monasteriensis*, quærens sibi quietem. Decessit postea ex hac mortali vita anno 1398, cum præfuisset annis 34. cum summa laude. Sepelitur in *Carhusia* à se constructa ac amplissime dotata. Reliquit Episcopatu moriens duodecim arces cum suis territoriis salvas, ac nullo profus alieno ære gravatas. Duas enim arces ad *Fusam* & ad *Leynam* extruxit de novo, *Steinbruggensem* videlicet & *Koldingensem*.) (* Contra prædecessoris sui *Henrici Brunsvicensis* fratrem, *Albertum* nomine, *Halberstadenensis* Ecclesie Præfulem, bellum habuit. Porro *Alberto* Episcopo frater *Magnus*, Dux *Brunsvicensis* adhæsit, una cum Archiepiscopo *Magdeburgensi*. Congressus autem prælii more, *Gerhardus Hildesianorum* Pontifex *Albertum* Episcopum *Halberstadensem*, & fratrem ejus *Magnum* Ducem *Brunsvicæ*.)

uicensem, nec non & Archiepiscopum Parthenopolitanum pugnando cepit, unaque cum 1200. armatis vincetos habuit; cum tamen idem *Gerhardus* vix quingentos armatos habuisset, concessos sibi per Ducem Luneborgensem circa annum Domini 1375. Aliqui volunt, *Albertum* illum Episcopum Halberstadensem dictum fuisse *Rickmensdorp* & non Ducem Brunsvicensem. Idem Antistes *Gerhardus* ædificavit cartallum prope summam Ecclesiam. *)

Iohannes de Hoya Episcopus, in principio sui introitus aliquamdiu satis strenue se gessit. Nam *Fridericum* Ducem, terram nostram devastantem, ipse compescuit. Sed in bonis cito fatigatus fuit. Nam congregata dispersit, & in prodigalitate & feminarum contubernio plus, quam decuit, laxabat habenas. Hunc Deus in fine castigavit. nam omnes Principes & Episcopi, circumquaque confœderati contra eundem, terram nostram devastarunt; qua occasione ad magnam inopiam devenit, & penuria plus, quam senio compellente, coadjutorem recepit Episcopum Caminensem, Ducem Saxoniz, cognomine *Magnum*, & post breve tempus idem *Iohannes* mortuus est, & sepultus in medio Ecclesiz nostræ, anno Domini MCCCCXXIII. Sed anno Domini MCCCCXXVIII. obiit Abbas *Hinricus* Monasterii Sancti Michaelis, in ordine XXV, qui rexit duntaxat ad unum annum; sed prius ad Sanctum *Godehardum* ultra XX. annos rexerat, sepultus ante altare Sancti *Godehardi*. Huic successit Abbas *Hinricus de Hamelen*, qui rexit ad medium annum, in ordine XXVI, sepultus ante altare Sanctæ *Katharinæ*. Cui successit *Theodericus* dictus *Brincman* XXVII. in ordine. (39. *Iohannes* Comes ab *Hoya* ex *Paderbornensi* Episcopo primum *Gerardi* coadjutor assumptus, postea exento rebus mortalibus *Gerardo*, unanimibus totius Cleri votis eligitur in Episcopum *Hildesheimensem*, accedente etiam *Bonifacii noni* Pontificis Maximi consensu, cum antea *Paderborne* quinque annis laudabiliter præfuisset. Sedit ad clavum *Hildesianæ* Ecclesiz annis 26. negligentissimè, & cum Ecclesiz rerum incomparabili irrecuperabilique jactura. Victus est bis ingenti prælio; primum ad *Osterwicum*, deinde ad *Grandevium* (*). Accepit Coadjutorem *Magnum*, Saxoniz inferioris Ducem. Obiit anno Domini 1424. in die S. *Pancratii*. Sepelitur sub cathedralis Ecclesiz pendente corona. Sub eo cœpit *Carthusia* in *Arnsbock* & altera in *Roslock*.) (* Tribus ferme annis contra Principes Brunsvicenses arma movit, at non fortunatò. Plurimos enim in congressu perdidit, quos captivos multis aureis redimi necesse fuit. *)

Dominus *Magnus* satis laudabiliter rexit in temporalibus; multa castra emit sub contractu redemptionis. Obiit anno Domini MCCCCLII, sepultus in medio Ecclesiz. Sed anno Domini MCCCCXLIX. obiit Abbas *Theodericus Brincman*, sepultus ante altare Sancti *Bartholomæi*. Huic successit *Hinricus Woldorp*, in controversia electus cum *Conrado Woltbusen* de *Brunswic*, & magnam pecuniam inter se consumserunt, contententes in curia Romana; & postquam sic contenderant, Deus cogitat cogitationes pacis & non afflictionis. Elegit autem ab initio hunc locum propter patronos loci & reliquiarum præsentiam. Advenit quidam Cardinalis dictus *Nicolaus de Cusa*, tituli Sancti *Petri ad vincula*, missus a Papa *Nicolao* quinto ad partes Saxoniz. Hic comperiens eos contententes, incepit examinare electionis formam; etiam de vita & moribus electorum ac etiam gregis, & pro dolor! reperit eos macula proprietatis omnes damnabiliter infectos, & certa alia, quæ causa honestatis superfedeo; & Abbatem *Hinricum* alloquitur, qui nitebatur sibi in materna lingua respondere. Tandem iussus loqui Latina, non potuit, quia nimis inscius & ignarus fuit, sed præ confusione recessit; & sic tandem excommunicatus fuit, & post absolutus; & electio cassata, & secundum vulgare proverbium, *nec mihi nec tibi*; sed Dominus Cardinalis providit cuidam religioso fratri, Domino *Iohanni* Professo Monasterii *Bursfeldensis*, in quo Monasterio usque hodie floret maxima disciplina & religio. Hic præfatus *Iohannes* cepit secum certos fratres in cooperatores reformationis Monasterii præfati, qui non modicum laborem habuerunt. Præsertim varias oblocutiones à plebeis, & difficultates ab aliquibus fratribus sustinuerunt. Nam difficile est consueta relinquere; quæ omnia causa brevitas & pacis superfedeo. (40. *Magnus* Dux Saxoniz inferioris, primum *Iohannis* ignavi Episcopi factus coadjutor, eo defuncto postea unanimi consensu capitularium in *Hildesheimensem* eligitur Episcopum anno Domini 1424. Fuit pacis ac belli artibus egregiè instructus, ac Princeps optimus. Præfuit quietè, pacificè, & ut prudentissime sic etiam utilissime annis 28. Confœderavit se *Ottoni* Brunsvicensi Duci, ac *Iohanni* Episcopo Halberstadenfi. Obiit anno Domini 1452, cum prius totius Capituli consensu in partem gubernationis accepisset *Bernhardum* Ducem.) (* Dux Saxoniz de *Lawenborg*, *Erici* illius frater, ad quem Ducatus Saxoniz rediit, Duce ipsius sine prole defuncto. At *Sigismundi* Imperatoris majestate ad *Missenensem* Ducem translatus fuit, una cum Electorali dignitate. *)

Factum est præterea, quod Dominus *Magnus* senio gravatus, in filium eligeret Illustrem Principem Dominum *Bernardum*, Ducem de *Brunswic*, qui tanquam Provisor rexit ad VII.

(*) castrum *Gronds* ad *Vifurgim*.

VII. annos. (4t. *Bernhardus* Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis, *Friderici* Ducis filius, ejus videlicet, qui Franciscanorum Cellensium fundator, resignata filiis gubernatione, reliquum vitæ apud eos exegit religiosissime. Is *Bernhardus* Coadjutor primum, postea Administrator, Ecclesiæ Hildesheimensi præficitur anno Domini 1452. Præfuit annis septem non admodum utiliter, quia sua potius quam Episcopatus commoda quærebat. Neque unquam animum ad Ecclesiasticam vitam vel disciplinam adjecit. Resignata itaque anno Domini 1459. Episcopatus gubernatione, uxorem duxit, puellam incomparabili forma ac specie præditam; qua tamen non diu frui potuit, mox rebus mortalibus exentus. Ipsa postea *Wilhelmo* Luneburgensium ac Brunsvicensium Principi seniori nupsit, cum quo propter salinas Luneburgenses contendens prius *Bernhardus*, eum aliquoties profigarat.)

Ex post *Ernestus Comes de Scomborg* electus fuit anno Domini MCCCCLVIII. qui confirmatus rexit XIII. annis, vir benignus & affabilis, sed heu! ad spiritualia non deditus. Periculose etiam satis obiit sine sacramentis, ut dicebatur. Aliunde bene rexit. Obiit anno Domini MCCCCLXXI, sepultus prope armarium Ecclesiæ nostræ. Sed anno Domini MCCCCLXIII. obiit *Johannes Eyleke* Abbas, primus reformator Monasterii Sancti Michaelis, XXIX. in ordine, sepultus ante altare sancti Stephani in eodem Monasterio. Cui successit *Hinricus Bertkow*. Tempore præfati *Hinrici* reformatum est Monasterium Sancti Godehardi, cooperantibus secum venerabili *Ernesto* Episcopo, *Egardo de Wenden* Præposito. (*) Anno Domini MCCCCLXVIII. fuit bellum inter Ducem *Wilhelmum* ac filios *Fredericum* & *Wilhelmum* ex una, ac civitates vulgariter dictas *de Henfestede* ex altera partibus, & plura damna ambæ partes intulerunt sibi invicem. Sed anno Domini MCCCCLXXI. fuit forte bellum inter præfatos Duces Brunsvicensis & *Ernestum* Episcopum Hildenshemensem, & famabatur, quod idem Episcopus ex nimia tristitia obiit eodem tempore. Anno vero sequente scilicet LXXII. orta est gravis discordia inter civitatem *Hildeshem* & Episcopum *Henningum* ex una: & vassallos diœcesis & quosdam Canonicos ac oppida terræ ex altera partibus; qui eundem Dominum *Henningum* Episcopum recipere recularunt. *Qualis velit esse finis, Deus novit.* Sed jam plures villæ disolutæ sunt, heu! Eodem anno cometa visus est, & *Ersfordia* pro maxima parte ab ignibus consumta est, pons scilicet mercatorum & omnes domus fere Presbyterorum cum Ecclesiis principalibus, Beata scilicet Mariæ Virginis, & Sancti Severi cum XII. aliis Ecclesiis. Nota anno Domini MCCCCLXIII. ordinatus est venerabilis Dominus *Hinricus Bertkow* in Abbatem Monasterii Sancti Michaelis, secundus in reformatione, quæ reformatio fuit introducta per Dominum *Cardinalem de Cusa* cum multis ac plurimis damnis & expensis, & maximis laboribus, anno Domini MCCCCLI. Hic venerabilis Pater & Dominus *Hinricus* rexit X. annis laudabiliter, sepultus ante altare in latere sancti Bartholomæi cum quatuor fratribus suis. Iste Pater fuit filius Bursfeldensis missus cum Domino *Johanne* pro reformatione Sancti Michaelis introducenda & manutenenda; ordinatus in Cellerarium, & post paucos annos in Priorem; sed nescio quo interjecto livore depositus de Prioratu. Quem *** Venerabilis Dominus *Johannes Hagen* Abbas Bursfeldensis *** in charitate suscipiens, duxit iterum ad Bursfeldiam & in Priorem ibidem ordinavit. Sed non post multum temporis defuncto Domino *Johanne Eyleke* anno Domini MCCCCLXIII, Conventus Sancti Michaelis unanimiter cum gaudio elegerunt ipsum præfatum Dominum *Hinricum*, quondam eorum Priorem in Abbatem Monasterii Sancti Michaelis eodem anno quo supra, scilicet MCCCCLXIII. Constitutus Abbas & confirmatus, quia vir erat plenus caritate per omnia in omni caritate rexit fratres & in bona disciplina. Invenit maxima debita quasi XVI^o flor. ad manum & fere VI^o florenos ad annum censum. Nihilominus omnibus diebus vitæ suæ struxit tam in Ecclesia quam in aliis locis. Ædificavit quoque circa totum Monasterium murum lapideum cum novo infirmatorio super ambitum infra Ecclesiam & Capellam Martini & domum hospitem superiorem cum cellulis suis. Hic Pater erat electus per aliqua vota in Episcopum *Hildeshemensem* post mortem Domini *Ernesti*, & per Dominum *Ducem Ottonem* in Abbatem in *Luneborg*. Sed quia erat amator fratrum suorum, potius voluit in simplicitate cum fratribus suis vivere & mori, quam gloriosus cum aliis dominari. Novit Deus, quod non mentior: vir iste amabilis, & omnibus in statibus multum affabilis fuit. Confido & veraciter credo; dilectus fuit Deo & Angelis & dicere audeo hominibus pusillis cum majoribus. Habuit gratiam magnam cum Prælati Ecclesiæ Hildenshemensis & civitatis, & maxime cum Principibus totius Patriæ, ita, quod gratiæ Dei & sui, modica dampna sustinuit Monasterium in devastatione totius Patriæ occasione Domini *Henningi* electi Episcopi ab una parte, & Ducis Magni *Herbipolensis* ex altera; quamquam tamen bonus Pater ex nimia tristitia hujus controversiæ creditur in Domino feliciter obiisse anno Domini MCCCCLXXIII, in decimo anno sui regiminis, sepultus in medio fratrum suorum, ut supra. Cui successit anno eodem Prior suus Venerabilis Pater, Dominus *Hermannus Polman* de Monasteriensi civitate oriundus. Hic erat vir simplex, justus & re-

ctus

(*) Sequentia alia manu tam male scripta sunt, ut pleraque diffusè, multa autem omnino non legi potuerint.

Etus, declinans a malo, & sollicitus per omnia, ut ambularet cum Deo, tertius in reformatione. Hic fuit vicesimus nonus in ordine Abbatum. Ordinavit singulis diebus pauperes peregrinos colligere in Monasterio suo, quorum pedes ipse consuevit lavare, quod de gratia Dei usque hodie laudabiliter observatur; propter quod etiam Monasterium Sancti Michaelis notabiliter profecit ab illo tempore & deinceps. Ipse Venerabilis Pater ob quandam violentiam ac injuriam factam in piscaturâ Indistriae à Consulatu Hildensfemsi, ivit uno dierum cum suo Priore & duobus senioribus ad Prætorium, & in præsentia totius consulatus & XXV. senatorum citavit eos viva voce ad iudicium extremum ad respondendum de hujusmodi violentia, sibi contra libertatem Sancti Monasterii illata, & finaliter obtinuit emendam & defendit libertatem ipsius. Multum Zelosus & fervidus fuit ad visitandum & reformandum Monasteria utriusque sexus, tam ordinis Patris nostri scilicet Sancti Benedicti, quam etiam aliorum. Inter quæ reformavit Monasterium in *Ringelheim* adeo depauperatum & penitus desolatum, quod quodammodo nullum vestigium alicujus religiositatis in eo fuerat relictum. Cujus miserrimam desolationem consolari volens, ordinavit Priorem suum in Abbatem, hominem, sicut ferunt, inexpertum, pusillanimum, & minus idoneum ad tale opus. Quo spiritu tamen hoc egerit, novit scrutator cordium. Dicere tamen audeo, quod simplici & pio animo; quia homo sine felle erat, cujus respectus erat in Deum omni tempore ordinatus. Ordinavit sibi in solatium tres fratres in principio; post quos misit tertium fratrem, scilicet Iohannem Boeth, qui ibidem in Christo obiit cum fratre Arnolde Clivis; aliis redeuntibus in domum suam ad Sanctum Michaelem. Hic pius Pater, venerandus omnibus diebus vitæ suæ, largiter ministravit fratribus, pro reformatione Ringelheim missis, omnia necessaria in victu & amictu, non attendens quorundam fratrum suorum murmuraciones: sed iuste id iudicavit debere fieri. Nam heu! si fas est dicere, per fratres, Abbates & Priores Monasterii Sancti Michaelis prænominatum Monasterium Ringelheimense fuit desolatum, devastatum, impignoratum, neglectum, & proh dolor! in nihilum redactum, ut patet præ oculis. Hac igitur occasione voluit illud pro modulo suo ad pristinum statum reducere. (42. *Ernestus Comes à Schowenborg, frater Mechthildis, permutatione fere facta cum Bernhardo, Hildesheimensem Episcopatum consequitur, desponsans Bernhardo sororem, & pro ea accipiens & ipse sponsam Ecclesiam Hildesheimensem. Cœpit præesse anno Domini 1459. Sedit ad gubernaculum Ecclesiæ annis 12, venator potius quam Episcopus. Infeliciter pugnavit contra Duces Brunsvicensis: idcirco mœrore animi consumptus, ex hac vita concessit anno Domini 1471. Sepelitur in Cathedrali Basilica prope aram S. Petri.*

43. *Henningus nobilis Regulus de Domo successit Ernesto Administratori hoc modo. Mortuo Ernesto cœpit de successione haberi controversia: major eligentium pars suffragabatur Hermanno Hassorum Langnavio, tum Canonico, postea vero Archiepiscopo Colonienfi. Minor pars elegit Henningum de Domo, hæctenus Decanum summi Collegii Hildesiani. Ex hac suffragiorum divisione accepit iterum gravissimum vulnus Ecclesia Hildesheimensis. Henningus non impiger statim Romam volat pro confirmatione; quam homo doctrina & eloquentia instructus, corporis etiam Heroica & augusta statura præditus, apud Pontificem Maximum facile obtinuit. Reversus Româ, excipitur cum summo gaudio ab universo, cum Clero, tum Senatu populoque Hildesiano, omnia subsidia & omnem defensionem sua sponte Episcopo offerente. Hermannus videns, ab Episcopi Ministerialibus & parte Cleri jam cœptum esse bellum; excitatis contra Henningum Ducibus etiam Brunsvicensibus: noluit se ille istis turbis immiscere, sed pacato animo cedens, resignata gubernatione Coloniam rediit. At adversa Henningo cleri pars nondum quievit, nec quieverunt equestris ordinis viri, Episcopatus vasalli, sed *Balthazarum Ducem Megalopyrgensem Principem juvenem, ac per ætatem tali gubernationi ac dignitati nondum idoneum eligunt. Is collecto quingentorum equitum exercitu Hildesiam contendit: sed ab Hildesheimensibus civibus, obsidentibus tum castrum Steurwaldense (in quo vasalli, in Henningum seditiosi, se congregarant) ita tormentis ac machinis bellicis exceptus est, ut deinceps non amplius Hildesheimium redire conaretur. Cives Hildesiani integro anno obsidionem arcis Steurwold continuantes, fame tandem eos, qui arcem tenebant, ad deditonem perpulerunt. Sic disceptatum ac pugnatum est varia fortuna per triennium à prima electione. Henningus vero obtinens gubernaculum Ecclesiæ sibi commendatæ, septem postea annis quietè adhuc præfuit ad annum Christi usque 1481, quo Episcopatum cum consensu Cleri resignavit Bertholdo Episcopo Verdensi cognato suo, à quo prius in difficillimis suis temporibus plurimum adjutus erat. Ipse vero retenta sibi condigna pensione annua, quieti se dedit, munificentissimus interim in pauperes. Mortuus postea sepelitur honorificè ante summæ Basilicæ Hildesheimensis sacrarium.)* (* *Henningus van dem Huse vasallus, Decanus Ecclesiæ Hildesiensis. In Episcopum electus, maluit Decanatu esse contentus, quam cathedra Episcopali gaudere. Citatus nescio à quo ob Decanatum esse contentus, quam cathedra Episcopali gaudere. Citatus nescio à quo ob Decanatum, cum coram Sanctissimo (Papa) comparuisset, & Episcopatu cedere se velle diceret, utpote, qui invitatus in electionem consensisset: perspecta viri dexteritate & humilitate Papa respondit: Tu es verus Episcopus; te obedientia voto submittas. Potestatis tibi à**

Deo concessa auctoritate Antistitem te Hildesiana Ecclesia confirmo: tu auctoritati & potestati obedito. Remittitur igitur Episcopus Hildesianus: at sui (*) etiam recipere noluerunt.*)

(44. *Bartholdus* Baro à *Landesbarche* ex *Verdensi* Episcopo, ubi decem jam annis præfuerat, *Hildesheimensis* etiam Præful factus est anno Domini 1481. per resignationem *Henningi*. Confirmatur à Pontifice Maximo *Sixto IV*, ut utrique Ecclesiæ, & *verdensi* & *Hildesianæ*, præfesset. Erat vir eximia prudentia præditus, nec vulgariter doctus: eloquentiæ vero maximæ & pronuntiationis suavissimæ. Sedit ad clavum utriusque Episcopatus annis 22. Natum est illi post pauculos annos atrox ac funestum & biennale bellum cum civitate *Hildesheimensi*, quod totam fere *Saxoniam* in arma excitavit. Confecto hoc bello quietè postea vixit, collapsa *Monasteria* summo studio reficiens; videlicet *Ringelbeimium*, *Georgibergum*, ad muros *Goslarienses* situm, & *Franciscanorum Luneburgensium* cœnobium. Construxit & denuo, ac magnificè communivit *Rodenburgum* castrum, in *Verdensi* Episcopatu situm, in quo plerumque habitare solebat. Obiit in eadem arce anno Domini 1503. in vigilia Ascensionis *Dominicæ*. Sepelitur in Ecclesia *Verdensi*.) (* *Bartoldus secundus*, cum civibus & mechanicis inconsuetas de cerevisia & aliis vendibilibus exactiones sibi dandas quorundam persuasum indixisset; contempto mandato, sua jura cives defendere etiam ferro maluerunt, quam talibus edictis subijci. Hinc ad arma curritur: Principem *Brunsvicensis* sibi Episcopus adscivit; cives civitatum auxilia postulant. Lite proinde contestata & bello indicto, quæcunque Episcopus potuit, civibus intulit, civitatemque obsedit. Agentibus contra *Hildesianos* Episcopo & Principe *Brunsvicensi*, civitates in diœcesin & Ducatum suas expeditiones moventes igni & gladio, multis malis populos affecerunt. Post plurimas rei bellicæ necessarias impensas, rem inutilem se tentasse Episcopus dedit; & qui magnos sibi proventus ex *Hildesianis* propositis exactionibus sponderat, virorum animos doctus, & civitatum illis cohærentium potentiam expertus, cedere cogitur, maximis reum jacturis.*)

(45. *Ericus*, inferioris *Saxonie*, *Angarie* videlicet & *Westfalie* Dux, *Canonicus* *Coloniensis*, eligitur in festo *Pentecostes* anno à nato Christo 1503. ab unanimiter consentiente Clero *Hildesiano* in Episcopum ac successorem mortui *Bartoldi*. Ingressus urbem paucis diebus ante natalem Domini: accipitur amplissimis muneribus. Præfides per unius anni spatium, & resignans Episcopatum cum *Capitularium* omnium, ac ipsius etiam Pontificis consensu fratri suo *Iohanni*, *Coloniæ* rediit; unde postea ad *Monasteriensis* Episcopatum gubernationem evocatus, ibi diutissime præfuit cum summa laude, quamdiu vixit.) (* *Dux Saxonie de Lauvenborg*, *Bartoldo* vita & dignitate perfuncto, in Episcopum electus, post confirmationem & diœcesis exactionem fratri suo *Iohanni*, sequenti videlicet, resignavit, *Monasteriensis* *Westfalie* Episcopus factus.*)

(46. *Iohannes* *Saxonie* inferioris Dux, patre *Iohanne*, matre vero *Dorothea* *Brandenburgensi* *Marchionissa* natus, per liberam resignationem fratris sui *Erici*, consentiente capitulo ac Pontifice Maximo, consequitur Episcopatum *Hildesheimensem* anno Domini 1504. Ingressus urbem cum quingentis equis. Tertio gubernationis suæ anno adiit ipse *Romam* pro impetranda confirmatione: quam cum esset consecutus, rediens in cœnobio *Mariærodeni* consecratur. Incidit in turbulentissima tempora, quorum res gestas hîc consulto prætereo. Præfuit ad annum Christi usque 1527, quo resignavit gubernationem *Balthasari* *Vicccancellario* *Imperatorio*. Ipse ad fratrem *Magnum* *Ducem* *Lowenburgensem* concedens, vixit adhuc *Raemburgi* anno Domini 1546.) (* *Iohannes quartus*, *Montis S. Mauricii* Præpositus, fratre *Erico* resignante, Præfulatum Ecclesiæ *Hildesianæ* obtinuit. Hic cum aliquot annos laudabiliter præfuisset, & jam bono Ecclesiæ animum inclinasset, castraque vasallis oppignorata redimere ære soluto cogitaret, animos illorum in se concitavit, & quos prius amicos putavit, eos postea crudeles sensit hostes. Fuere autem præcipui *Borchardus de Salder*, & *Steinbergenses*, quorum ex filia & sorore erat procreatus. Hi ordinationis novæ impatientes, ex minimis litem maximam suscitantes, ab Episcopo & diœcesi ad Principes *Brunsvicenses* desciverunt. Quibus in illorum sententiam conniventibus, non timere bellum patriæ indicere; & detestabili rabie hostilique furore non villas solum, sed etiam oppida, clam igne admoto desolata, terræ adæquaverunt. Cum igitur *Gronaw* taliter exussissent, & deinde castrum *Allerborg* magno equitum numero aggressi, *Vulcanalia* celebrassent, in castrum *Erici* Ducis, *Calenberg* dictum, sese receperunt. Hinc palam factò refugio & defensore, Antistes *Iohannes*, accitis ad se *Duce* *Luneburgensi* *Henrico*, *Comite* *Scowenburgensi* & aliis quibusdam, castrum *Calenberg* obsidione cinxit, totoque mense obsedit, circumpositis villis & oppidis consumtis igni. Econtrario Principes *Brunsvicenses* sese armaverunt. *Ericus* Dux *Henricum* *Ducem* *Brunsvicensem*, patruum suum, accivit sibi, cui fratres Episcopi *Christophorus* *Bremenensis*, & *Franciscus* *Mindensis*, jam terra ab Episcopo *Hildesimensi* & *Duce* *Luneburgensi* fugatus, adhæserunt. Surrexit exinde bellicum illud tempus, & buccina in terris nostris personavit; quorum progressum in *Chronicis* *Clusensibus* habebis.*)

(47.

(*) Vasallis scilicet.

(47. *Balthasar* Merckhelius, (de quo plura inveniet lector in Catalogo Episcoporum Constantiensium) Vicecancellarius Caroli V. Imperatoris, per resignationem Iohannis Episcopi consequitur Episcopatum Hildesheimensem cum consensu Senatus Canonorum. Is anno Domini 1528. ab Imperatore Orator in Germaniam ex Hispaniis missus, venit in Hildesiam urbi vicinum Castrum *Steurwald*, ubi humanissime & cum summo gaudio & amplissimis muneribus exceptus, omnia optima cum Clero tum urbi pollicitus; paucis diebus elapsis iterum discedens, ad Imperatorem sese in Hispanias recepit; cum quo postea ex Hispaniis in Italiam profectus, *Bononiam* venit, ubi Pontificiam confirmationem consecutus, anno sequenti in *Augustanis Comitiis* etiam Regalium investituram à Domino Carolo V. Imperatore accepit. Electus est eodem anno in Episcopum etiam *Constantiensem*: sed cum sequente anno in Imperatoriis negotiis ad inferiores Germanos descenderet, in eo itinere *Treveri* gravi morbo correptus, naturæ debitum absolvit subitanè in festo Sanctæ Pentecostes anno Christianorum 1531. Sepelitur ibi apud Sanctum Simeonem cum longo Epitaphio, ut legere poteris in *Constantiensium Episcoporum Catalogo.*) (**Balthasar* Cæsareæ Majestatis universalis orator. Posteaquam Iohannes proscripserat & terra sua fugatus per Principes Brunsvicensis, consilio plurimorum dignitati & officio renunciavit: istum elegerunt sive etiam postulerunt in Episcopum. Qui postulatus assensit, plurima promisit, & ob quam electus fuerat, diœcesis recuperationem spondit. Hildesiam venit; cui ex parte diœceseos, quæ superfuit, ad illius adventum exactionatâ, octo millia florenorum gratificaturi, ut putabatur, dederunt. At vix tribus diebus in diœcesi mansit: verum rebus Cæsareis operam impertiturus, non multos post menses reditum suum pollicitabatur; & apud Majestatem Cæsaream pro virili diœcesis recuperationem operaturum se dixit. Erat enim Augusto acceptissimus. At ô Malevadam auri famem! In rerum omnium sine Principibus Brunsvicensibus favisse dicitur, & diœcesin, ut fama tulit, potius vendidisse, quam illius recuperationi vel parum laboris indulgisse. Vendidit etiam *Monasterium* ordinis nostri *Salvedense*, quod nescio, si vel à Cæsarea majestate impetraverat, vel in defensionem acceperat, sex millibus florenorum Comiti de *Mansfelde*. Item & *Monasterium* illud quondam potentissimum *Fuldense*, quod, ubi tutari debuit, vendidit. Super quibus ad Cæsaream Majestatem delatus; ubi increpitus ob rem, iram illius gravissimam sese meruisse vidit; confusus, & se ipsum ferre non patiens, illico apoplexia tactus, incurabiliter cecidit, & aliquot dies in valetudine illa adversa misere jacens, tandem defecit extra Augusti gratiam. Quicquid autem Hildesiam habuit armorum, id in illius detestationem confractum periit anno Domini 1531. *)

48. *Otto* tertius hujus nominis, *Comes de Schauwynborg* assumitur anno ætatis suæ 17. ad preces Dn. *Caroli V.* Imperatoris Augusti, & *Wilbelmi* Comitis de *Nassow* in Episcopum Hildesheimensem unanimi consensu totius Canonorum senatus anno Domini 1531, in die S. *Panthaleonis*. Præfuit is annis sex neque consecratus neque confirmatus. Exautoratus à *Paulo tertio* Pontifice Maximo propter transgressum petendæ confirmationis terminum anno Domini 1537, qui præscripto novo termino seriò mandabat, ut alius in ejus locum à Canonorum collegio eligeretur, nisi à Pontifice Romano Episcopatum occupari vellent.

49. *Valentinus*, nobilis Heros à *Theutleben* (**Dethleven**) Sacræ paginæ ac legum Doctor eximius, vir sapientissimus, eligitur ex Præposito *Francofurtenfis* Collegii ad D. *Bartholomæum*, ex Canonico item *Moguntino*, *Magdeburgensi* ac *Hildesiano*, unanimi consensu totius summi collegii Hildesheimensis in Episcopum proxima die Dominica post S. *Michaelis* Archangeli Festum anno Domini 1537. Confirmatur & consecratur Romæ à Pontifice Maximo *Paulo III.* Unde in Germaniam reversus, Hildesheimium ingreditur, ubi summo gaudio, cum cleri tum totius reipublicæ, exceptus, aliquamdiu sedit. Edidit hic *Valentinus statuta synodalia*, impressa Venetiis anno Domini 1543. apud *Iohannem Franciscum* cum *canonibus Concilii provincialis Colonienfis*, celebrati anno Domini 1536. Postea *Moguntiam* reversus, fortassis ob mutatum in Saxonibus genus doctrinæ, & varios ibi confurgentes tumultus; in Archiepiscopali illa ac longè *amanissima urbe*, hoc adhuc anno Christi 1549. currente, dignitatibus cum Episcopatus Hildesheimensis, tum aliis conspicuus, fulget. Interfuit anno Domini 1547. magnis *Comitiis Augustanis*, à Dn. *Carolo V.* Imperatore Augusto post bellum Germanicum habitis. Obiit anno Domini 1551, decimo Kalendis Maji, *Moguntia*que sepultus.

50. *Fridericus* Dux *Holfatiæ* electus est unanimi consensu totius Capituli, post obitum venerabilis Patris ac Domini *Valentini* de *Theutlewen*, quinquagesimus Episcopus Hildesheimensis Ecclesiæ ex Canonico *Colonienfis* Ecclesiæ. Qui ingrediens civitatem Hildesianam, summo gaudio & magnis muneribus exceptus est: donatus inter cætera arce *Peinenfi*. Qui pergens in *Holfatiam* ad fratrem suum, correptus infirmitate, in oppido *Kyll* excessit è vivis, atque ibidem sepultus est. Arcem autem *Peinensem* post mortem Episcopi frater ejus occupavit, & aliis centauris locavit longo tempore. Possedit hic *Fridericus* Episcopatum annis quinque. Obiit anno Domini 1556.

51. *Borhardus*, nobilis Heros de Oberge, Episcopus 51. electus est ex Decano Hildesheimensis Ecclesie cum consensu totius Capituli. Sub hujus gubernatione de restitutione quarundam arcium, ad Episcopatum cum adjectis territoriis pertinentium, quibus aliquandiu predecessores sui caruissent, inter quosdam Principis Commissarios agi coeptum esse dicebatur; sed nihil inde secutum est, & ipse in sua patientia patienter sustinuit usque ad annos 16: quibus pene completis ipse in castro Sturwolde terminum vite sue adeptus est anno Domini 1573, 23. die Februarii in quadragesima; sepultus cum decenti pompa in Ecclesia Hildesheimensi ante sacrarium summi templi.

52. *Ernestus* Dux Bavarie, filius *Alberti* Ducis, Episcopus *Frisingensis*, electus est unanimi consensu totius capituli Hildesheimensis Ecclesie anno Domini 1573, 7. die Martii in Episcopum Hildesianum.)

(* *Ferdinandus* Dux Bavarie *)



XLIX.

IOHANNIS BVSCHII CANONICI REGVLARIS

LIBRI II.

DE

REFORMATIONE MONASTERIORVM COMPLYRIVM PER SAXONIAM ET VICINAS REGIONES;

ubi supplentur & emendantur jam supra edita à pag. 476. ad 506, & opus magnâ parte, interim repertâ, integratur, ex Manuscripto Kiloniensi.

Incipit liber Reformationum & visitationum plurimorum Monasteriorum utriusque sexus ordinum diversorum; & primò de Patre ordinis Canonorum Regularium, qui non parvam dedit operam pro huiusmodi Reformationibus & visitationibus perficiendis: cuius Dei beneficia sibi exhibita, tanquam ipse hæc Deo cum plurima gratiarum actione enarraret, continuo sublequantur.

CAPITULUM I.



Mercedias Domini in æternum cantabo, &c. vide hoc Tomo pag. 477. lin. 1. pag. eodem lin. 8. locum boni particularis studii civitatis nostræ, scilicet Zwollis. locum particularis boni studii oppidi nostri Zwollensis. lin. 9. Græca leg. *Grammatica*. 14. Græca - *Grammaticam*. 15. summus - *supremus*. 16. Sele - *Cele*. ibid. bibales etiam - *bibales mihi*. (bibales quod Germanis trinkgeld) ibid. cum - *qui vel quin*. 17. respicerent - *respicerem*. 20. vocaveris - *vocareris*. 27. ewechlike - *eweliken*. 28. ratus merito, propter Deum leg. *satis numero, propter Deum &*. 34. vana - *verba*. 35, 36. & adiens Canonicum &c. in ** deliberavi. leg. *& ordinem Canonorum regularium &c. introire deliberavi*. 42. missus - *admissus*. 44. Huxen - *Herxen*.

CAPITULUM II.

57. post dimidium adde: *anno natiuitatis mee XX*. 58. Heusden - *Huesden*. ibid. Teyla - *Tyela*.

Pag. 478. lin. 14. scripsi Erfordie ad quendam fratrem Ordinis Benedicti leg. *Scripsi ad quendam fratrem Bernardum Ordinis Sancti Benedicti in Erfordia*. 15. Instigabat autem Sathan usq; ad de carnalibus leg. *Instigabar ab intru, timeo, quod à Sathana, jacens in lecto de carnalibus cogitare*. 17. tamen, quod interdum lege tam, quid inde. 25. post etate adde: *annorum plus quam LXX*. 28. versiculum leg. *versiculum responsorium aut versiculum ad horas*. 30. suber - *subar*. 39. post: presentiam adde: *vinum, carnes & albos panes secum pro conventu deferentium*. 40. ad solarium domus. ad *cella solarium*. 42. post: & ego tuus, adde: *Et ex eo tempore usq; in presens semper, quantum in ipso fuit, meum bene fuit in pace, & capi cum eo colloquium celebrare, &*

epus